DE

STUDIO

CŒNOBIO CONSTANTINOPOLITANO

THESIM

Facultati litterarum Universitatis Nanceiensis proponebat

EUGENIUS MARIN

PRESBYTER NANCEIENSIS, IN GYMNASIO MALGRANGIANO PROFESSOR



PARISIIS

APUD VICTOREM LECOFFRE

90, VIA DICTA BONAPARTE, 90

—

M DCCC XCVII

DE

STUDIO

CŒNOBIO CONSTANTINOPOLITANO

NANCY, IMPRIMERIE BERGER-LEVRAULT ET C[ie]

DE

STUDIO

CŒNOBIO CONSTANTINOPOLITANO

THESIM

Facultati litterarum Universitatis Nanceiensis proponebat

EUGENIUS MARIN

PRESBYTER NANCEIENSIS, IN GYMNASIO MALGRANGIANO PROFESSOR



PARISIIS

APUD VICTOREM LECOFFRE

90, VIA DICTA BONAPARTE, 90

—

M DCCC XCVII

PIAE

MEMORIAE

RR. DD.

FELICIS MIDON

EPISCOPI OSAKENSIS

AMICISSIMI

DESIDERATISSIMI

AUCTORUM CONSPECTUS

Acta Sanctorum. Venetiis, 1734 et sqq.

Allatius, *de Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione libri tres*. Ejusdem Dissertationes *de Dominicis et Hebdomadibus Græcorum*. Coloniæ Agrippinæ, 1648, in-4°.

Alzog, *Histoire universelle de l'Église catholique*. 4e édition. Trad. Sabatier, Paris, 1874, 4 in-12.

Assemani, *Kalendarium Ecclesiæ universæ*. Tome V. Romæ, 1774, in-4°.

Auctor anonymus *Antiquitatum urbis Constantinopolis*. Venetiis, 1729.

Auvray, *Theodori Studitis præpositi Parva Catechesis*. Parisiis, 1891, in-4°.

Bandurii, *Commentar. in Antiquitates. Constantin.* Venetiis, 1729.

Baronius, *Annales ecclesiastici, denuo excusi et ad nostra usque tempora perducti ab Augustino Theiner*. Barri-Ducis, 1864. 34 vol. in-4°.

C. Bayet, *l'Art byzantin*. Paris, sans date, in-12.

— *Recherches pour servir à l'histoire de la peinture et de la sculpture chrétiennes en Orient, avant la querelle des iconoclastes*. Paris, 1879, in-8°.

— *Histoire byzantine*, ap. *Histoire générale*, tome I. Paris, 1893, in-8°.

Sk. Byzantios, ἡ Κωνσταντινούπολις, περιγραφὴ τοπογραφική, ἀρχαιολογικὴ καὶ ἱστορική. Athenis, 1851-1869, in-4°.

Ed. Bouvy, *Poètes et Mélodes* : étude sur les origines du rythme tonique dans l'hymnographie de l'Église grecque. Nîmes, 1886, in-8°.

— *Études préparatoires au Congrès eucharistique à Jérusalem en 1893*. Paris, 1893, in-12.

— *Les Origines de la poésie chrétienne*, dans *les Lettres chrétiennes*, tome IV, 1882.

Bury, *A History of the later roman empire*. London, 1889, 2 vol. in-8°.

F. Cabrol, *Histoire du cardinal Pitra*. Paris, 1893, in-8°.

Du Cange, *Constantinopolis Christiana*. Venetiis, 1729, in-fol.

— *Glossarium med. et inf. græcitatis*. Lugduni, 1688. 2 vol. in-fol.

— *Glossarium med. et inf. latinitatis*. Parisiis, 1734. 6 vol. in-fol.

Cedrenus, *Compendium historiarum*. Edit. Bonnensis, 1838, 1839 ; ap. Migne, *P. G.*, CXXI, CXXII.

Ceillier, *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*. Paris, 1729-1763. 24 vol. in-4°.

Choiseul-Gouffier, *Voyage pittoresque en Grèce*. Paris, 1809. 2 vol. in-fol.

Codices græci manuscripti :

Cod. Græcus 337 : Triodium ; XIII sec. 199 ff.

— 1570 : Menæum Novembris ; 1127, 214 ff.

Cod. Regius 2500 : Excerpta e Typico montis Atho, varia ascetica ; XV sec. 418 ff.

Cod. Coislin. 37 : Niconis Nonachi Pandectes ; XIV sec. 367 ff.

— 38 : Typicum magnæ lauræ S. Athanasii in monte Atho, 1431, 503 ff.

— 215 : Typicum lauræ S. Sabæ ; 1360, 207 ff.

— 216 : Typicum lauræ S. Sabæ ; XIV sec. 207 ff.

— 361 : Typicum lauræ S. Sabæ ; XIV sec. 230 ff.

— 362 : Rituale et euchologium lauræ S. Sabæ ; XII sec. 227 ff.

Cod. supplementi græci 28, 103, 411, 413, 415, 416, 431.

Cod. Marcianus 115 (Naniensis CLXX) ; sec. XV et XI, 354 ff.

Codinus, *de Ædificiis Constantinopolitanis.* Edit. Bonn. 1839, ap. Migne, *P. G.*, CLVII.

Constantini Manassis *Compendium;* ap. Migne, *P. G.*, CXXVII.

Constantini Porphyrogeniti *de Cærimoniis aulæ byzantinæ.* Edit. Bonn., 1830, ap. Migne, *P. G.*, CXII.

Cotelier, *Ecclesiæ græcæ monumenta.* Parisiis, 1687. 3 vol. in-4°.

Cozza-Luzzi, *Nova Patrum bibliotheca,* tomes V, VI, VII, VIII. Romæ, in-4°.

Diehl, *Études sur l'administration byzantine dans l'Exarchat de Ravenne.* Paris, 1888, in-8°.

— *Le Monastère de Saint-Nicolas-di-Casole.* Rome, 1886, in-8°.

Duchesne, *les Origines du culte chrétien.* Paris, 1889, in-8°.

Fleury, *Histoire ecclésiastique.* Paris, 1722-1734. 34 vol. in-4°.

Georgios Hamartolos, *Chronicon,* ap. Migne, *P. G.*, CX.

Van den Gheyn, *S. Joannice le Grand, abbé du mont Olympe en Bithynie,* in *les Études relig.* Juillet 1890.

J. Goar, *Euchologium Græcorum.* Lutetiæ Parisiorum, 1647, in-fol.

P. Gyllii *de Topographia Constantinopolitana.* Venetiis, 1729.

Héfélé, *Histoire des conciles,* trad. Delarc. Paris, 1869-1876. 11 vol. in-8°.

Hélyot, *Histoire des Ordres monastiques, religieux et militaires,* tome I. Paris, 1714, in-4°.

Hergenröther, *Photius patriarch von Constantinopel.* Regensburg, 1867, in-8°, tome I.

— *Histoire ecclésiastique,* trad. Belet, tomes II et III. Paris, 1886, in-8°.

Incerti auctoris *Vita Leonis Armeni,* apud Migne, *P. G.*, CIX.

Justiniani *Novellæ.* Edit. Krüger, 1884. Berolini.

Kondakoff, *Histoire de l'art byzantin.* Paris, 1886. 2 vol. in-4°.

F. X. Kraus, *Lehrbuch der Kirchengeschichte.* Trier, 1882, in-8°.

— *Real-Encyclopädie der christlichen Alterthümer.* Friburgi, 1880. 2 vol. in-4°.

K. Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur.* München, 1891, in-8°.

Kurth, *les Origines de la civilisation moderne*, 3e édit. Bruxelles, 1892, 2 vol. in-12.

Lebeau, *Histoire du Bas-Empire*, revue par Saint-Martin et Brosset. Paris, 1824-1836. 21 vol. in-8°.

Lecoy de la Marche, *les Manuscrits et la Miniature*. Paris, in-12.

— *L'Art d'écrire et les calligraphes*, dans la *Revue des questions historiques*. Juillet 1884.

E. Legrand, *Bibliographie hellénique*, tome II. Paris, 1885, in-8°.

F. Lenormant, *la Grande-Grèce*. Paris, 1881-1884. 3 vol. in-12.

Leonis Grammatici *Chronicon*, apud Migne, *P. G.*, CVIII.

Lichtenberger, *Encyclopédie des sciences religieuses*. Paris, 1877-1882. 13 vol. in-8.

Mabillon, *Études monastiques*. Paris, 1692. 2 vol. in-12.

Maimbourg, *Histoire de l'hérésie des iconoclastes*. Paris, 1636, in-4°.

Mansi, *Conciliorum nova et amplissima collectio*. Florentiæ et Venetiis, 1759 sqq. 31 vol. in-fol.

Martigny, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*. Paris, 1877, in-4°.

Martinov, *Annus ecclesiasticus græco-slavicus*, in *Actis Sanctorum* Octobris, t. XI.

Ph. Meyer, *die Haupturkunden für die Geschichte der Athosklöster*. Lipsiæ, 1894, in-8°.

Migne, *Patrologiæ græcæ cursus completus*. Parisiis, 1857-1866.

Miklosich et Müller, *Acta et diplomata monasteriorum et ecclesiarum Orientis*. Vindobonæ, 1871, 1887, 1890. 3 vol. in-8°.

— *Acta et diplomata patriarchatus Constantinopolitani*, ibid., 3 vol. in-8°.

Mingarelli, *Græci codices manuscripti apud Nanios patricios asservati*. Boloniæ, 1734, in-4°.

Mordtmann, *Esquisse topographique de Constantinople au moyen âge*. Lille, 1892, in-4°.

Müller, *Studium cœnobium Constantinopolitanum*. Lipsiæ, 1721, in-8°, 68 pp.

Muralt, *Essai de chronographie byzantine*. Saint-Pétersbourg, tome I, 1855.

Nicephorus Bryennius, Edit. Bonn. 1837; Migne, *P. G.*, CXXVII.

Nicephorus Callistus, Migne, *P. G.*, CXLV-CXLVII.

Nicephorus Gregoras, apud Migne, *P. G.*, CXLVIII, CXLIX, Edit. Bonnensis, 1829.

Nilles, *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiæ orientalis atque occidentales*. Œniponte, Tom. I. Edit. altera, 1896, in-8°.

V. Nissen, *die Diataxis des Michael Attaleiates*. Iena, 1894.

Paparrigopoulo, *Histoire de la civilisation hellénique*. Paris, 1878, in-8°.

— *Bulletin de correspondance hellénique*. 1877.

Paspatès, Βυζαντιναὶ μελέται. Constantinopoli, 1877, in-8°.

Pitra, *Spicilegium Solesmense*. Parisiis, 1852-1858. 4 vol. in-4°.

— *Juris ecclesiastici Græcorum historia et monumenta*, tome I et II. Romæ, 1864.

— *Analecta sacra Spicilegio Solesmensi parata*, tome I. Parisiis, 1876, in-4°.

Pitra, *Analecta novissima*. Parisiis, 1885, in-4°.

— *Hymnographie de l'Église grecque*. Rome, 1867, in-4°.

Pulgher, *Anciennes églises byzantines de Constantinople*. Vindobonæ, 1862, in-8° ; editum est autem ibidem, 1880, tabularum volumen in-fol.

Rambaud, *l'Empire grec au* x^e^ *siècle : Constantin Porphyrogénète*. Paris, 1870, in-8°.

Riant, *Exuviæ sacræ Constantinopolitanæ*. Genevæ, 1877. 2 vol. in-8°.

Salzenberg, *Alt-christliche Baudenkmäler von Konstantinopel*. Berolini, 1854, in-fol.

Schlumberger, *Sigillographie byzantine*. Paris, 1884, in-4°.

— *Un Empereur byzantin au* x^e^ *siècle, Nicéphore Phocas*. Paris, 1890, in-8°.

— *Les Iles des Princes*. Paris, 1884, in-12.

Stevenson, *du Rythme dans l'hymnographie de l'Église grecque*, dans la *Revue des Quest. hist.*, Octobre 1876.

Suidas, *Lexicon*. Edit. Berhnhardy.

Surius, *de probatis Sanctorum historiis*, tome VI. Coloniæ Agrippinæ, 1575, in-fol.

Symeonis Magistri *Annales*, ap. Migne, *P. G.*, CIX.

Theodori Studitæ *Opera varia*, ap. Migne, *P. G.*, XCIX ; in Nova PP. bibliotheca, tome V-VIII.

— *Parva Catechesis*. Edit. Auvray. Parisiis, 1891, in-4°.

Theophanis *Chronographia*, recensuit de Boor. Lipsiæ, 1883-1885. 2 vol. in-8°.

Thomas, *Theodor von Studion und sein Zeitalter*. Osnabrück, 1892, in-8°, 139 pp.

Thomassin, *Ancienne et nouvelle discipline de l'Église*, tome I. Paris, 1725, in-fol.

Tillemont, *Histoire des empereurs*, tome VI. Paris, 1738, in-4°.

—*Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique des six premiers siècles*, Paris, 1693-1712, 16 vol. in-4°.

Toscani, *Ad Typica Græcorum animadversiones*. Romæ, 1864, in-4°.

Tougard, *Animadversiones ad Theodori Studitæ parvam Catechesim* ab Em. Auvray editam.

— *La Persécution iconoclaste d'après la correspondance de S. Théodore Studite*. Paris, 1891, in-8°, 47 pages.

Vita Euthymii, edidit de Boor. Berolini, 1888, in-8°.

DE « STUDIO »

CŒNOBIO CONSTANTINOPOLITANO

PROŒMIUM

Inter innumera Constantinopolis urbis monasteria, cum ipsa structura præcipuum, tum etiam incolarum frequentia celeberrimum, tum maxime gestis rebus clarissimum [1] fuisse videtur cœnobium sancti Joannis Baptistæ « τοῦ Στουδίου ». Cujus equidem breviter historiam referre, vitam explicare monachorum, atque etiam litterarum studium commemorare suscepi, auctoribus animumque

1. Müller, *Studium cœnobium Constantinopolitanum,* p. 5 : « Celeberrinum Constantinopolitanæ urbis monasterium Studium. » — Skarl. Byzantios : Κωνσταντινούπολις, p. 306 : « Μονὴν τοῦ Στουδίου μίαν τῶν ἐπισημοτέρων τῆς Κωνσταντινουπόλεως, » — Paspatès, Βυζαντιναὶ μελέται, p. 292 : « Ἡ περιώνυμος μονὴ τοῦ Στουδίου » ; p. 343 : « ἡ ἄλλοτε ἐπιφανεστάτη μονή. » — G. Schlumberger, *Bulletin de correspondance hellénique,* t. VII, p. 183 : « Le couvent de Saint-Jean-Baptiste de Stoudion, plus connu sous le nom de *Stoudion,* μονὴ τοῦ Στουδίου, était un des plus fameux de Byzance. Son nom se retrouve à chaque page de l'histoire de l'empire d'Orient. » Cf. ejusdem auctoris : *Sigillographie byzantine,* p. 139. — Tougard, *Annotationes ad Theodori Studitæ parvam Catechesim,* p. XLIV : « Studium inter tria cœnobia ponebatur præstantiora. » — Thomas, *Theodor von Studion,* p. 59 : « Studion, ohne Zweifel, das berühmteste und bedeutendste Kloster des Reiches. »

addentibus humanissimis ac doctissimis viris[1]. Ut autem in hoc faciendo periculo plurimum fuit delectationis, sic etiam et in legendo utinam non nimium tædii afferatur!

---

1. Quos inter nominatim proferendi sunt K. KRUMBACHER Monacensis, P. CAGIN e RR. PP. Solesmensibus monachis, atque imprimis C. DIEHL Nanceiensis et L. DUCHESNE Parisiensis, quibus me maxima devinctum gratia profiteor.

CAPUT I

CONDITUR STUDIANUM CŒNOBIUM

Haud procul a Propontide mari, in ea urbis parte cui nomen est Psamathia [1], unoque septem vicorum qui continentur inter veterem Constantinianum et recentiorem Theodosianum murum [2], medio fere itinere inter antiquam auream portam [3] et auream portam novam [4], exstat, Xerolopho colli [5] applicata, ædes sacra Mahumetana [6] locum signans in quo Studianum ædificatum est cœnobium.

Utrum autem intra ipsius regiæ civitatis muros fuerit erectum, an in suburbio, non plane concordes reperiuntur veterum scriptorum sententiæ. Nonnulli enim, Petro Gyllio duce [7], monasterium

---

1. Mordtmann, *Esquisse topographique de Constantinople,* p. 77.

2. *Ibid., o. l.,* 2 : « L'espace compris entre le vieux mur Constantinien et la nouvelle enceinte Théodosienne, assigné aux sept corps gothiques, était divisé en sept quartiers portant le nom numérique de leur garnison respective. L'histoire n'a conservé que les noms de Deutéron, Triton, Pempton et Hebdomon. A l'époque des croisades, on n'y distinguait que les quartiers de *Psamathia,* Deutéron, Pempton, Hebdomon et Blaquernes. »

3. *Ibid.,* p. 8 : « La petite mosquée d'Esseh Kapou, ancienne église, marque aujourd'hui la place de l'ancienne *Porta aurea.* »

4. *Ibid.,* p. 13.

5. *Ibid.,* p. 77.

6. *Ibid.,* p. 77 : « Aucun doute n'est possible sur l'emplacement de la Vierge *Périblepté* (Soulou Monastir), de Saint-Jean τῶν Στουδίου (Imrakhor Djami) et du couvent de *Gastria* (Sandjakdar Djami), tous deux situés dans les quartiers de Psamathia. » — Cf. Müller, *o. l.,* p. 8 ; Choiseul-Gouffier, *Voyage pittoresque en Grèce,* t. II, p. 453 ; Salzenberg, *Altchristliche Denkmäler von Constantinopel,* p. 12 ; Pulgher, *Anciennes églises byzantines de Constantinople,* p. 13 ; Tougard, *l. l.,* p. LI.

7. *Topogr. Constant.,* lib. IV, cap. IX, p. 398, 400. — Anselmi Bandurii *Comment. in antiquitates Constant., ibid.* — Müller, *ibid.,* 7. — Paspatès, *o. l.,* 344.

illud sancti Joannis Baptistæ Studianum extra urbem situm esse contendunt; asserunt vero plurimi, quos longum est dinumerare [1], ipsum intra urbem, jam a priscis temporibus, fuisse exstructum. At nullo negotio nodus ille expeditur, cum ipsi muri, quibus civitas illa Constantinopolitana Theodosii junioris temporibus circumcingeretur, multo majorem urbi dederint ambitum quam Constantinianus circuitus. Namque medium fere locum obtinebat Studii cœnobium inter veterem Constantini et recentiorem Theodosii murum, ita tamen, teste Nicephoro Cæsare Bryennio [2], ut facilis esset ex urbe exitus.

Monasterii vero illius conditorem fuisse virum quendam inclytum, Studium nomine, origine Romanum, inter omnes convenit qui de eo cœnobio memoriæ prodiderunt.

At pluribus eximiis viris iisdemque antiqua illa Roma oriundis nomen fuisse aiunt Studium [3]. Exstant enim duæ ad Studium quendam sancti Ambrosii epistulæ [4], quarum prior anno 385 vel 386 scripta est, Theodosii majoris temporibus; item, sanctus Joannes Chrysostomus, ex urbe Cucusa, anno 404, litteras dedit [5] ad præfectum Urbis et præclarum philosophum Studium, de quo etiam fecit mentionem Palladius in vita Chrysostomi [6]. Tres autem illæ epistulæ utrum ad unum eundemque Studium spectent, necne, incertum est [7]; veri saltem simillimum videtur ejusdem gentis fuisse Studiani cœnobii conditorem, de quo jam sermo est.

Fl. Studius, alias quoque Alterius [8], patricius Romanus, et genere et opibus præstantissimus, nec solum « majorum suorum gloria et magistratibus insignis [9] » fuisse dicitur, sed etiam omni-

1. Cf. Du Cange, *Constantinopolis christiana,* lib. IV, p. 70. — Baronius, anno 798, n. 1-4.

2. Niceph. Bryennius, ed. Bonn., 1837, lib. I, n. 1, p. 18. — Migne, *P. G.*, CXXVII, 41 : « ... ἵνα ἔχοιεν εὐχερῶς ἐξιέναι τῆς πόλεως. »

3. Baronius, anno 459, n. 16-19. — Müller, *o. l.*, 6. — Sk. Byzantios, *ibid.*, 306.

4. Migne, *P. L.*, XVI, 1039-1042, 1042-1046.

5. Migne, *P. G.*, LII, 721-722.

6. Migne, *P. G.*, XLVII, 14.

7. Migne, *P. L.*, XVI, 1040. — Du Cange, *o. l.*, 70. — Müller, *ibid.*

8. Müller, p. 5.

9. Baronius, *ibid.*

bus virtutibus ornatissimus, immo, ut videtur, Sanctorum catalogo, morte obita, adscribendus[1]; qui quidem, relicta urbe Roma, Constantinopolim demigravit, atque ibi honestissime divitiis utens, in regia civitate « xenodochia et gerontocomia excitavit, ac multa prædia iis distribuit[2]. » Quin etiam, ipse miraculo sanatus traditur, ceterisque miraculo restituisse sanitatem. Namque, cum phtisi angeretur, atque ad aquas Germias sancti Michaelis profectus in iis se lavasset, penitus curatus est; idemque, cum cæcum quendam unxisset oleo sancti Michaelis, veluti squamis cadentibus cæcus vidit[3]. Neque igitur mirum si Studius ille, ut grates rependeret, templum sancti Michaelis reædificavit atque ornavit, ibidemque etiam gerontocomia et xenodochia exstruxit, multis prædiis iisdem assignatis[4].

Sed præcipue condito Constantinopoli sancti Joannis Præcursoris cœnobio nobilitatus est Studius. Quonam vero tempore ædem illam erexerit, paucis jam aperiendum. Consentiunt omnes byzantinarum rerum scriptores, Studium anno 454, imperante Marciano, consulatum in Oriente gessisse, Aetium autem in Occidente sub Valentiniano[5]. Ante igitur id temporis, novæ Romæ colonum fuisse Studium, certa res est, quanquam quibus temporibus Constantinopolim demigraverit, vix potest declarari. Patricia ergo ac consulari dignitate insignitus, plurimum in imperio et auctoritate, et opibus, et pietate valebat[6].

---

1. *Codex Naniensis* CLXX : Cf. Append. III, p. 128.
2. *Cod. suppl. gr.*, n. 416, f. 254.
3. *Ibid.*
4. *Ibid.*
5. Ita Baronius, anno 454, n. 1. — Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclés.*, XII, 498; *Histoire des Empereurs*, VI, 249. — Müller, *o. l.*, 6. — Choiseul-Gouffier, *o. l.*, II, 474. — Muralt, *Essai de chronographie byzantine*, t. I, 67. — Byzantios, p. 306. — Paspatès, p. 343. — Attamen, auctore Hélyot, adscriptus est Studii consulatus anno 456 in *Cod. suppl. gr.*, n. 416, f. 254; sed non ita recte. — Müller, *o. l.*, 6, falso asserit « in splendidissima urbe Romana consulem egisse » Studium.
6. Hæc enim in priore S. Theodori Studitæ vita, apud Migne, *P. G.*, XCIX, p. 145 : « Στούδιος ἀνήρ τις τῶν εὐγενῶν καὶ τὰ μεγάλα δυναμένων· ὃς καὶ τῷ τοῦ πατρικίου καὶ ὑπάτου τετίμητο ἀξιώματι. » Cf. Du Cange, *Const. christ.*, IV, 70 : « Θεοσεβὴς καὶ περίβλεπτος ὕπατος Στούδιος. » Cujus etiam meminit Justinianus imperator, Novel. LIX, 6.

Utrum autem ante an post suum consulatum, condiderit Studius Στουδίου μονήν, apud rerum byzantinarum scriptores variæ sunt sententiæ atque inter se dissidentes. Asserunt enim nonnulli Studium illum, ob conditum antea cœnobium, consulatus honore fuisse donatum. Hæc enim Suidas [1] :

Στούδιος ἀγλαὸν οἶκον ἐδείματο · καρπαλίμως δὲ
Ὧν κάμεν εὕρατο μισθόν, ἑλὼν ὑπατηΐδα ῥάβδον.

Inde, prima quidem specie, consequitur ut Studiense illud cœnobium ante annum 454, a Studio nondum consule sit ædificatum. Attamen, paulo diligentius consideranti, non videntur ea de Studii consulatu versibus expressa rem tam præcise solvere. Vox enim ea « ἀγλαὸν οἶκον » quam, teste Nicephoro [2], adscribit Suidas monasterio illi Constantinopolitano, eadem etiam alteri tribuitur ædi nempe sancti Michaelis Archistrategi, quam in urbe Nacolia idem Studius erexerat. De qua sic apud Baronium [3] :

Studius illustrem ædem condidit, celeriterque suorum
Laborum præmium repperit, consulares fasces adeptus.

Præterea, tanto fit ea res obscurior quam Nicephorus supradictos asserit versiculos græce inscriptos fuisse in ipsa fronte Studiani cœnobii [4].

Quæ quidem si certo explorata essent, nullus jam superesset ambigendi locus illam divo Præcursori ædem ante annum 454 fuisse erectam. Sed versus illi, de quibus res agitur, quos, teste Suida, Nicephorus ille Callistus, recentioris quidem ætatis scriptor [5], in Constantinopolitano Studii monasterio insculptos

---

1. Cf. Migne, *P. G.*, CVIII, Jacobi Goari ad Theophanis Chronographiam animadversiones, p. 286. — Müller, 4. — Suidas, edit. Bernhardy, t. II, p. 910.

2. Nicephori Callisti eccles. historiæ, lib. XVI, cap. 35, apud Migne, *P. G.*, CXLVII, 189. — Cf. Jac. Goari animadversiones ad Theoph., *l. l.*

3. Baronius, anno 459, n. 17. — Muralt, *o. l.*, p. 76 : « Le même (Studius) bâtit aussi l'église de Saint-Michel à Nacolie. »

4. Niceph. Call., *l. l.* : « propter hoc consul factus est Studius, ut hoc fronti cœnobii inscriptum carmen significat. »

5. Scribebat nempe incipiente seculo quarto decimo. — Cf. Krumbacher, *Geschischte der byzant. Litteratur*, p. 92.

fuisse contendit, iidem, auctore etiam Suida, ut aliis nonnullis placet, « in templo quodam Romæ exstructo legebantur [1] ». Quidquid id est, si re quidem vera in Studiana æde Constantinopolitana incisa esset ea inscriptio, quonam tempore fuerit minime est apertum ; eamque in diversum interpretari necesse erit, cum non ceteris consonet, quæ nunc proferenda sunt, testimoniis [2].

Etenim, inter ceteros qui de byzantinis rebus scripserunt, sunt qui conditum a Studio cœnobium tradant, nulla temporis facta mentione, ut Theodorus Lector [3] et Theophanis continuator [4], et uterque scriptor vitæ sancti Theodori Studitæ [5] et Suidas [6].

Sunt autem qui rem paulo lucidius definiant. Ait enim Codinus : « ἐν τοῖς χρόνοις Λέοντος τοῦ Μακέλου [7]. »

Iisdem fere verbis utitur auctor anonymus Antiquitatum Constantinopolis : « τὰ δὲ Στουδίου ἔκτισε Στούδιος πατρίκιος ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ Λεομακέλου [8]. » Auctore Nicephoro Callisto, id etiam Leone imperante contigit [9]. Georgius quoque Hamartolos erectum narrat monasterium Studiense, defuncto Anatolio patriarcha ac Gennadio in ejus locum ordinato, Leonis imperatoris temporibus [10]. Theophanes vero monachus atque archimandrita, Chronographiæ auctor, inter omnes illos byzantinarum rerum scriptores antiquissi-

1. Müller, *o. l.*, p. 6.

2. Pro mea quidem sententia, in errorem inductus est Nicephorus et deinceps Müller, nescio qua specie rerum uterque deceptus, cum Suidas (edit. Bernhardy, *l. l.*, 910 ; *P. G.*, CVIII, 283) expresse dicat versus illos inscriptos fuisse in templo τοῦ Ἀρχιστρατήγου Νακωλείας, ἐν ᾧ φέρονται καὶ στίχοι ἡρωϊκοί · Στούδιος ἀγλαὸν κ. τ. λ.

3. Du Cange, *Const. Christ.*, IV, 70. — Theodorus Lector, Migne, *P. G.*, LXXXVI, 173, n. 17.

4. Du Cange, *ibid.*

5. Migne, *P. G.*, XCIX, 145 et 260.

6. Suidas, *l. l.*

7. Du Cange, *ibid.*; Codinus, edit. Bonn., p. 102.

8. *Antiquitatum Constantinopol.*, lib. I, p. 19.

9. Niceph. Callisti *Hist. eccl.*, lib. XV, cap. 23; *P. G.*, CXLVII, 68.

10. Georgii Hamartoli *Chronicon*, lib. IV, *P. G.*, CX, p. 757 : « ἐπὶ Λέοντος, Ἀνατολίου τελευτήσαντος, Γεννάδιος προεχειρίσθη πατριάρχης..... ἐπὶ τούτου Στούδης ἔκτισε τὸν ναὸν τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Προδρόμου. » Atqui, ex Theophanis Chronographia, 109, 24, Leo I imperium obtinuit anno 457, obiit vero Anatolius anno 458.

mus eventuique proximus, expresse refert conditum fuisse a Studio sancti Joannis Baptistæ cœnobium, sexto Leonis imperantis anno : ait enim : « τῷ δ' αὐτῷ ἔτει καὶ Στούδιος τὸν ναὸν ἔκτισε τοῦ Προδρόμου[1]. » Quam sententiam sequitur et Cedrenus : « τῷ ϛ' ἔτει Στούδιος τὸν ναὸν ἔκτισε τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Βαπτίστου[2]. »

Omnes igitur, si unum excipias, consentiunt fuisse ædificatum Studiense monasterium, regnante Leone; illudque, ii qui tempus definite adscribunt, anno Leonis Magni vel Macelli imperantis sexto, Gennadii vero patriarchæ anno quinto, 462 videlicet aut 463, conditum esse a Studio consule declarant[3].

At inter recentioris ætatis scriptores, non tam magna dissensio est. Aliis enim nulla videtur certi temporis facienda mentio[4]; aliis vero annus 462 potior habendus[5]; ceteris autem magis placet annum 463 eligere[6].

---

1. Theophanes, p. 113, 3. — Cf. Ceillier, XVIII, 260, sqq.

2. Cedrenus, 611, 17.

3. Leo I — Λέων ὁ Μέγας ὁ Μακέλλης — imperator salutatur anno 457, mense februario. — Cf. Georgios Hamartolos, Migne, *P. G.*, CX, 756. — Theophanes, *ibid.* Sextus igitur imperii illius annus februario mense 463 finem habet.

4. Hergenröther, *Photius*, I, 100 : « Unter Gennadius entstand in Constantinopel das berühmte Kloster Studium mit einer Johann dem Täufer geweihten Kirche, dessen Stifter Studius nach einigen Berichten, von Rom gekommen sein soll. » — Pulgher, *o. l.*, p. 13 : « La mosquée d'Imbrakor-Djami est l'ancienne église de Saint-Jean-Baptiste construite vers la moitié du ve siècle. »

5. Tillemont, *Mémoires*, XII, 498 : « Stude, qui avait été consul en l'an 454, ayant fait bâtir à Constantinople, en 462, une église de Saint-Jean-Baptiste, y mit quelques religieux du monastère des Acémètes. Et c'est ce qui a formé le monastère des Studites, si célèbre dans l'histoire des églises d'Orient. » *Hist. des emp.*, VI, 249, 299. — Sic etiam Kraus, *Real-Encyclopedie*, t. II, p. 408. — Cf. *Acta Sanctorum*, Januar., I, 1019.

6. Müller, *o. l.*, p. 7; Tougard, *ibid.*, p. xliii, inter 462 vel 463 hærent. Annum vero 463 designant Hélyot, *Hist. des Ordres monast.*, I, 241; Salzenberg, *o. l.*, 12; Sk. Byzantios, *o. l.*, p. 307; Krumbacher, *ibid.*, p. 322; Thomas, *Theodor von Studion*, p. 59. — At, nescio quibus nitens auctoribus, Fleury, *Hist. eccl.*, VI, 571, annum 473 indicaverit; Baronius vero annum 459 « citius quam par erat », ut Augustino Theiner videtur (Baronius, ad annum 456, not. 6). Longe diversam neque veri similem, ut opinor, sententiam sequitur Paspatès, *o. l.*, 344, cujus hæc liceat referre : « πρῶτος ὁ Στούδιος ὅστις μετά τινων ἄλλων ἐπισήμων ἀνδρῶν ἐκλήθη ἐκ Ῥώμης

Jam ex ipsius Studii patricii tempore, huic monasterio, ob ecclesiam beato Præcursori[1] dicatam, impositum est sancti Joannis Baptistæ nomen; atque ut a ceteris secerneretur eodem antea patrocinio gaudentibus[2], plerumque etiam, addito Studii vel Studitarum cognomento, moris erat, apud rerum byzantinarum auctores, ut designaretur: « ἡ μονὴ τοῦ Στουδίου, τῶν Στουδίου, τῶν Στουδιτῶν, τῶν Στουδίων, » vel etiam « τὰ Στουδίου » atque « ὁ Στουδίων[3] ».

εἰς τὸ Βυζάντιον ἀπὸ τὸν μέγαν Κωνσταντῖνον τὴν μονὴν ταύτην ἀνίδρυσε », idque ante annum 413, scilicet ante conditos a Theodosio muros; unamque talis sententiæ adducit causam, nempe quod: « ὁ Κωδινός ὀρθῶς λέγει ὅτι ἡ μονὴ τοῦ Στουδίου ὡς καὶ ἡ μονὴ τῆς Χώρας ἦσαν πάλαι ἔξω τῶν τειχῶν. »

1. Antonius Novgorodensis, apud Riant, *Exuviæ sacræ Constantinopolitanæ*, II, p. 225: « Sancti Iohannis Baptistæ vertex, pectus, digitus unus et dens unus servantur in monasterio Studii, in ecclesia sancti Theodori Studitæ. » Invisit autem Constantinopolim Antonius circa annum 1200. Riant, *o. l.*, I, ccvii. — Cf. *Acta SS.*, Junii, IV, 730. — Müller, *o. l.*, 10.

2. Sancti Joannis Baptistæ ἐν Πέτρᾳ vel τῆς παλαιᾶς πέτρας, Mordtmann, *o. l.*, p. 10, 21, 30, 75; sancti Joannis Baptistæ ἐν τῷ Ἑβδόμῳ, *ibid.*, 30; sancti Joannis Baptistæ τῶν βασιλικῶν πυλῶν, *ibid.*, 40.

3. Paspatès, *o. l.*, p. 343, 344. — Migne, *P. G.*, XCIX, 1271, 1702..... — Mansi, VIII, 907, 930, 939, 987, etc. — Cf. *infra*, p. 21, not. 7-14.

CAPUT II

DESCRIBITUR STUDIANUM CŒNOBIUM

A sancto Theodoro Studitarum præposito fuisse olim exaratam Studiani cœnobii descriptionem traditum est [1]. Ex ea autem, quæ jampridem perierit [2], cum nulla liceat haurire documenta, necesse est a ceteris [3] scriptoribus quale fuerit præclarum illud monasterium huc illuc exquirere et qualia etiamnunc maneant pristini splendoris vestigia. Splendidissimum enim jam a primis initiis exstitisse declarant allegati Suidæ versiculi; pari etiam modo, auctor quidam anonymus *Vitæ Theodori* [4] laudat ecclesiam perinsignem et pulcherrimo adspectu cœnobium : sic enim ædificanti Studio visum fuerat [5].

---

1. Du Cange, *Const. christ.*, ibid.

2. In operibus sancti Theodori Studitæ a Sirmondo seculo XVII editis (*P. G.*, XCIX) exoptatam illam descriptionem cum non repererim, sperabam diutius, sed frustra, eam forte inveniri posse in recentiori S. Theodori Studitæ editione Romæ typis vulgata a P. Cozza-Luzzi, in qua primum in lucem prolatæ sunt 284 Theodori epistulæ, in Nova Patrum Bibliotheca, t. VIII. — De qua legendus Tougard, *la Persécution iconoclaste*, p. 5; *Revue des quest. hist.*, juillet 1891, p. 80 sqq.

3. Sancti Theodori exstant tamen versiculi duo quibus hortatur monachos ut diligenter ea perlegant quæ in parietibus descripta sunt; *P. G.*, XCIX, p. 1805 : Carmen CIII, πρὸς τὸ ἐπιμελῶς ἀναγιγνώσκειν τὰ ἐν τοῖς τοίχοις·

Γνῶθι παριὼν τῶν ἀναγράπτων μέρος,
Θεῖον γὰρ οὐδὲν ῥῆμά σοι παροπτέον.

Utrum vero illa oporteat de templi an ipsius cœnobii parietibus intellegere, non liquet.

4. *Ibid.*, p. 145. De hujus vitæ auctore, cf. Thomas, *o. l.*, p. 22; Duchesne, *Bulletin critique*, 1er sept. 1892.

5. *P. G.*, *ibid.* : « σὺν τῷ περιφανεῖ ναῷ μοναζόντων ἐνδιαίτημα εὐπρεπέστατον, κατὰ δὴ καὶ τῷ πολίσαντι ἔδοξε. » — A Studita quodam monacho in vita S. Nicolai Studitæ (Migne, *P. G.*, CV, p. 869) vocatur Studium cœnobium περιφανὲς καὶ περίδοξον τῆς ἀρετῆς παιδευτήριον.

Condito autem cœnobio, Studius cum esset ditissimus, sicut jam antea dictum est, plurimas possessiones largitus erat[1], ita ut opibus plurimum valeret. Neque tamen ausim in majus extollere atque ipsum prædicare quasi quoddam præstantissimum regiæ illius civitatis ornamentum[2], in qua cernere liceat illam callidissimo perfectam artificio Sanctæ Sophiæ ecclesiam. Ceterum perpauca adsunt indicia, quibus totam hujus cœnobii molem unave aut per partes possimus oculis subjicere. Etenim ante desolatum a Latinis, anno 1204, Studitarum monasterium, una solummodo exstat narratio eademque brevissima, atque in incerto plurima relinquens quæ quidem nosse magnopere interesset. Hæc igitur, paulo ante captam urbem, monachus Joseph Bryennius[3] : « Commoror, inquit, in venerando Studii monasterio. Nemo est e profanis hominibus qui os meum videat ; neque ulla mulier vocem meam audit, idque ob eam causam quod mille jam ab annis nullus vir otiosus in Studianum cœnobium ingressus sit, neque illius aream pedibus proculcaverit fœmineus sexus. In cella palatio simili vitam dego; hortus atque olivetum ac vinetum circa me ; ante oculos lentæ florentesque cupressi, hinc urbs et forum, inde ecclesiarum mater et imperium mundi. » Ipsam deinde cœnobii ecclesiam describit Bryennius : quam descriptionem satius erit huc non commemorare, cum iisdem fere verbis proferatur apud ceteros auctores qui de ea instaurata memoriæ prodiderunt. Erutum enim a Latinis atque ita vastatum cœnobium ut ibidem multos annos, integrum fere seculum, greges pascerentur[4], a ruinis instauravit

1. *Auctor anon. antiquit. Constant.*, p. 19 : « τὰ δὲ Στουδίου ἔκτισε Στούδιος πατρίκιος ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ Λεομακέλου, ἐν ᾧ προσεκύρωσε κτήματα πολλά. » Codinus, *de Ædificiis,* edit. Bonn., p. 102 : « κτήματα πολλὰ ἐπεκύρωσε. »

2. Sic enim Müller, *l. l.*, 9, nimis, ut opinor, magnifice.

3. Byzantios, *o. l.*, 308, 309 : « Κατοικῶ τὴν σεβασμίαν τοῦ Στουδίου μονήν. Οὐδεὶς τῶν βαρβάρων ἀνθρώπων εἰς προσῶπόν με ὁρᾷ, οὐδὲ τῆς φωνῆς μου γυνὴ ἀκούει · καὶ τὸ αἴτιον, ὅτι χίλια ἔτη, ἀφ' οὗ ἀνὴρ ἄπρακτος οὐκ εἰσῆλθεν εἰς τὴν μονὴν τοῦ Στουδίου, οὐδὲ θῆλυ γένος τὴν αὐλὴν ταύτης ἐπάτησε. Διάγω ἐν κέλλῃ παλατίῳ ὁμοίᾳ · κῆπος καὶ παράδεισος ἐλαιῶν καὶ ἀμπέλων κύκλωθέν μου · ἥμεροι κυπάρισσοι καὶ εὐθαλεῖς ἔμπροσθέν μου, ἔνθεν ἡ πόλις καὶ ἡ ἀγορά, ἐκεῖθεν ἡ μήτηρ τῶν ἐκκλησιῶν καὶ ἡ βασιλεία τοῦ κόσμου. »

4. Paspatès, *o. l.*, p. 348.

circa annum 1290 Constantinus Palæologus Porphyrogenneta imperatoris Andronici pater[1]; novumque ædificium nihil aut parum a veteri differre visum est[2], teste Nicephoro Gregora, ejusdem ætatis rerum auctore; immo et splendidius ecclesiæ imposuit tectum Constantinus, totumque cœnobium firmo muri ambitu circumdatum tutius exinde monachis incolendum, magnis sumptibus aptavit[3]. Verum, occupata a Turcis imperii orientalis sede, rursus Studianum cœnobium maxima ex parte dirutum est[4]. Nec plura reperiuntur de ipsa monasterii illius structura singularumque ejus partium habitu, apud veteres byzantinarum rerum scriptores : templum vero sæpius descriptum est. De quo hæc memoriæ prodidit Gyllius qui, cum Constantinopolim urbem, nondum mediante XVI° seculo, invisisset, a recentioribus plurimis allegatur testis : « In vestibulo sunt quattuor columnæ cum trabeatione egregie laborata. In interiori parte ædium, utrinque columnæ sunt septem virides nigris maculis velut fragmentis alterius generis lapidum distinctæ, quarum perimeter est sex pedum et sex digitorum. Denique earum ratio capitulorum, epistyliorum opere corinthio elaborata, eadem est quæ columnarum vestibuli. Supra illas sex existunt totidem columnæ in parte ædis superiore[5]. » Pars autem illa superior Studiensis ædis, quæ primo ecclesiæ parochialis fuerat, mulieribus erat pervia[6].

Nec plura quidem de illo Studitarum templo apud veteres. Apud recentiores autem, vix novi quidquam apud Choiseul-Gouffier reperias, quippe qui modo gallice reddidisse videatur quæ scripserit

---

1. Müller, *o. l.*, p. 6. — Salzenberg, *ibid.*, 12. — Sk. Byzantios, *ibid.*, 307. — Paspatès, *ibid.* — Pulgher, *o. l.*, p. 15. — Tougard, *ibid.*, p. LI.

2. Niceph. Greg., edit. Bonn., VI, 6, p. 190, 10 : « οὐδὲν ἢ μικρὰ τοῦ παλαιοῦ χαρακτῆρος ἀποδέον ἐκείνου. »

3. *Ibid.* : « τῷ νεῷ τοῦ Στουδίου λαμπρὸν ἐπιθεὶς τὸν ὄροφον (ἠρήμωται γὰρ ὁ χῶρος ἐκεῖνος παρὰ Λατίνων καὶ μηλόβοτος ἦν ἐκ πολλοῦ) ἔπειτα στερρὸν περιήγαγε φραγμὸν καὶ περίβολον, καὶ πολλοῖς τοῖς ἀναλώμασιν εἰς μοναζόντων κατέστησεν ἀσκητήριον. »

4. Cf. Tougard, *ibid.*

5. Lib. IV, cap. IX, p. 328.

6. *Ibid.* : « πρότερον καθολικῆς ἐκκλησίας ἦν. » — Salzenberg, *Altchristliche Denkmäler von Const.*, p. 12. — Müller, 8. — Pulgher, 13.

Gyllius[1]. Aliquanto post, anno 1854, eruditissimus vir Salzenberg ædificii partes, quam potuit accuratissime, at extrinsecus, dimensus, et rursus descripsit, et diligenter delineavit[2]. Nostris autem temporibus byzantinarum rerum auctores sollertissimi Pulgher[3] et Paspatès[4] rursum ecclesiæ hujus Studianæ delineationem expresserunt. Quibus auctoribus, sita erat Studii cœnobii ecclesia eo ipso loco ubi nunc exstat Mahumetanum templum cui nomen Imrakhor-Djami; cœnobium autem ejusque accessiones ad mare Propontida patebant, in quod quidem aditum monachis præbebat eadem forte porta, quæ nunc Narli-Kapou appellatur. Est autem ceteris maritimis portis arctior, multa metra exsurgens supra mare, dum ceteræ paululum supra Propontidem eminent; unde descensus ad mare angustus est atque ad hodiernum diem proclivior. Extra muros maritimos ac supradictam portam exstat etiamnunc « εὐκτήριον » lapideum sancto Joanni sacrum, olim, ut

---

1. Choiseul-Gouffier, *Voyage pittoresque en Grèce,* t. II, 2e partie, p. 377. Videnda est tamen apud eum depicta imago partis anticæ templi Studiani. Inviserat Constantinopolim Choiseul-Gouffier octavo decimo seculo finiente.

2. Salzenberg, *ibid.* Tribus egregie depictis tabulis continentur :

Tabula I, fig. 1, Plan Grundriss; fig. 2, Ansicht der Nord-Seite; fig. 3, Längen-Schnitt; fig. 4, Quer-Schnitt; fig. 5, Ansicht der West-Seite; fig. 6, Ansicht der Ost-Seite. *Tabula II,* fig. 1-9 et 14-17, Details der Vorhalle; 10 et 11, Details der Frauenchores; fig. 12 et 13, Details des Atriums. *Tabula III,* fig. 1 (1/30 der Natur), ein Theil des Marmor-Fussbodens des Schiffes; fig. 2, 3, 4 (1/5 der Natur), musivische Bänder dieses Fussbodens.

3. Pulgher, *Anciennes Églises byzantines de Constantinople.* Qui liber editus est anno 1872 Vindobonæ, tabularum vero volumen ad illum pertinentium anno 1880. Hæc continentur in Tabula I : *Saint-Jean-Baptiste :*

Fig. 1, plan de l'église;
Fig. 2, façade du narthex;
Fig. 3, plan d'un chapiteau;
Fig. 4, base des colonnes;
Fig. 5, chapiteau d'une ante du narthex;
Fig. 6, dessin de la corniche et de l'encadrement de la porte qui, du narthex, conduit à l'église;
Fig. 7, section transversale de l'église;
Fig. 8, partie de la section longitudinale de l'église.

Quam tabulam, cum perhumaniter concesserit D. Pulgher huc referri, incisam videre est ad hujusce voluminis calcem.

4. Βυζαντιναὶ μελέται, 343 sqq.

videtur, « μετόχιον » vel « παρεκκλήσιον » cœnobii. Intus autem, ubi nunc via ferrea, plurimæ erant ligneæ domus, cellæ, ut opinor, vel potius officinæ monachorum ; ibi etiam cœnobii cœmeterium situm fuisse videtur[1]. Ab oriente vero ecclesiæ ad Propontida late patebat hortus, in quo, nostris hisce temporibus, sæpe contingit ut effodiantur marmora ac columnæ, veterum Studii ædificiorum vestigia[2]. Non procul ab ecclesia, aderat ad illum irrigandum hortum, amplissima cisterna passus habens in longitudinem 70, in latitudinem 57[3] ; cujus tectum concameratum sustinent tres et viginti columnæ corinthiacæ, syenite lapide, quarum crassitudo pedis unius ac dodrantis est[4] ; quattuor ordinibus dispositæ[5], decem pedibus inter se singulæ distant[6]. Locum vero tenent vicesimæ quartæ columnæ, lapidearum scalarum gradus. Jampridem ea cisterna exhausta est : octavo decimo seculo illa utebantur officina vestiarii ac bombycinatores[7], nunc autem versa est in palearium[8] ; at etiamnunc pulcherrime servatæ columnæ effigiem quandam præbent pristini splendoris[9]. Præter ingentem illam cisternam, exstructa erant alia ædificia quibus merito sacellum illud in quo martyrum ossa ac reliquiæ condebantur annumerandum venit[10].

Cœnobii vero proprius locus ibidem situs fuisse videtur ubi nunc gymnasium iis Turcarum monachis instituendis quibus vulgo nomen est « derviches ». Sed ex prioribus ædibus nihil jam superstitit, nisi una sancti Joannis præcursoris ecclesia. Huic autem ecclesiæ facies est romanæ cujusdam basilicæ (*fig. 1*) duplici tabulato (*fig. 8*)[11]; quin etiam, teste Salzenberg, omnium est in urbe

---

1. Müller, *ibid.*, 15. — Paspatès, 349. Cf. Mordtmann, *ibid.*, 60.
2. Paspatès, *ibid.*
3. Salzenberg, *ibid.*
4. Salzenberg, *ibid.* — Choiseul-Gouffier, 477. — Paspatès, *ibid.*
5. Choiseul-Gouffier, *ibid.*
6. Salzenberg, *ibid.*
7. Choiseul-Gouffier, *ibid.*
8. Paspatès, *ibid.*
9. Pulgher, *ibid.*
10. Müller, *ibid.*, *Acta SS.*, Februar., I, 547, 551.
11. Cf. Tabulam ad calcem voluminis. Videre est etiam, *le Tour du Monde*, 1860, 2e sem., p. 103, descriptam ac depictam basilicam S. Demetrii Salo-

Byzantio antiquissima quibus ea sit romanæ basilicæ figura[1]. Patet in longitudinem a regia porta ad sacrum bema 27^{m},32, in latitudinem vero 25^{m},28[2]; superioris autem partis latitudo utrinque 5^{m},30. Totius ædificii parietes, latere quidem structi, ac bene servati, primigenii videntur. Vestibuli tectum sustinent quattuor albæ columnæ cum capitulis et epistyliis pulcherrima arte elaboratis ; quorum tamen pulchritudinem obscuraverunt incendia. Absidis pars interior semicirculata (*fig.* 7), exterior vero trilateralis est ; at desunt laterales absides, in quarum loco duæ januæ in monasterium aditum præbebant, nunc autem obstructæ sunt[3]. Deletum est etiam incendio quodam, anno 1782, splendens illud a Constantino Palæologo ædi Studianæ donatum tectum[4] ; igne item vastatæ superiores columnæ marmoreæ, locumque fecere depicto ex ligno columnis in quibus rudes opifices varium porphyritæ colorem sunt imitati. Ceteræ autem interioris ecclesiæ partes, a Gyllii temporibus, pristinum habitum retinuerunt. Constant vero columnarum basis, capitula, epistylium, ex proconnensi marmore, truncus autem ex virido antiquo (*fig.* 2, 3, 4). Quæ quidem, ut ipsius narthecis columnæ, genus romanum compositum imitantur, eleganter tamen ac libere : apparet enim in tota earum columnarum ratione cum ad magnificentiam propensio, tum quidam ingenuæ sculpturæ usus qui in posterioribus byzantinæ scholæ temporibus magis ac magis raro neque fere omnino reperitur. Animadvertenda sunt etiam duplicia capitulorum folia, alterum alteri impositum, egregie quidem ac delicate perfecta, atque in unoquoque cornu, expansis alis, volucris insidens ; notandum insuper, in ima cujusque capituli parte amplum quoddam, foliis baccisque orna-

---

nicæ, cui ut ædi sancti Joannis Studii erat narthex quattuor columnarum, triplex navis septem columnis hinc illinc distincta, tabulatumque duplex, ac in superiori ædis parte, mulieribus pervia, utrinque etiam sex columnæ.

1. Salzenberg, *ibid.* : « Eine altchristliche Kirche, vohl die älteste der in Constantinopel vorhandenen. »

2. Paspatès, 350. — Salzenberg : « 77 Fuss breit und 81 Fuss lang, excl. der Apsis. »

3. Paspatès, *ibid.* — Salzenberg, *ibid.*

4. Pulgher, *ibid.*

tum, ac media parte cruce signatum, cymatium : quod quidem, teste Salzenberg, proprium est columnarum christianæ ætatis. Crucem vero illam, atque volucrem invenire est etiam, ac multo majores, in epistylio exsculptas.

Pristini quoque pavimenti magna pars etiamnunc superstat, musivum præbens exquisiti operis, multiplicibus formis, multicoloribus ac pulcherrimis marmoribus. Quæ omnia nunc perpetuo tegunt mattæ et tapetes. Ceterum tota interior ædes obscura est ac perfrigida : dicas vitam ex ea migravisse : ad cujus aditum huc illuc dispersa jacent marmora, fractæ columnæ, ruptæ helices, collapsa epistylia, tristia præteritarum rerum vestigia ; ita in cœmeterio nonnunquam effossa reperiuntur ossa eorum qui de vita discesserunt.

CAPUT III

NARRANTUR RES GESTÆ A CONDITO CŒNOBIO AD THEODORUM PRÆPOSITUM

Descripto jam ac perspecto ædificii illius, quod utique tot secula perduravit, pristino atque hodierno statu, veterum Studii cœnobii annalium renovanda est memoria atque eorum enarranda historia qui illic monasticam vitam degerunt, temporum ordine servato. Sed, ante Theodorum illum Studitis monachis exeunte seculo octavo præpositum, perpauca fateor adesse quibus a ceteris Constantinopolitanæ urbis monasteriis discernatur Studitarum cœnobium. Immo, ne integra quidem eorum series qui Studio præfuerunt, potuit recenseri [1], quanquam nullo unquam tempore defuerunt qui suæ virtutis ac religionis præclara dederint argumenta [2].

Antiquissimus cujus nomen ad nos usque pervenerit hegumenus, Athenodorus nempe « ὁ τῶν Στουδίου ἀρχιμανδρίτης », temporibus vixisse fertur Stylitæ Danielis; Daniel vero ille cum mirabilem vitam egerit, patriarchalem sedem ex ordine obtinentibus Anatolio, deinde Gennadio atque Acacio [4], non veritatis specie caret ipsum Athenodorum, ut mea fert opinio, jam sub Gennadio egisse abbatem atque etiam omnium Studitarum hegumenorum principem exstitisse [5]. Constat autem Athenodorum Studitarum hegumenum ab Acacio missum fuisse ad Danielem cum nonnullis

---

1. Videas ad calcem hujusce voluminis Appendicem I.

2. Migne, *P. G.*, XCIX, p. 145, in priore Theodori Studitæ vita. — Cf. Müller, *ibid.*, p. 11.

3. Müller, *ibid.*, p. 19.

4. Apud Surium, die XI Decembris, pp. 845-865, in vita sancti Danielis Stylitæ.

5. Georgius Hamartolos (Migne, *P. G.*, CX, p. 757) asserit sub idem tempus Studium consulem exstruxisse Constantinopoli cœnobium, et « mirabilem illum Danielem » in columnam ascendisse.

aliis monasteriorum præpositis ; eodemque tempore Studitas monachos, e monasterio egressos, Stylitam precibus rogavisse ut « ἐν τῷ προφητείῳ αὐτῶν » precaturus intraret[1]. Quod quidem « προφητεῖον » nihil aliud esse censeo nisi ipsam eorum ecclesiam divo Præcursori « Prophetæ Altissimi » dicatam.

Qualis autem esset Studitarum virtus fidesque mox omnibus patuit. Etenim, cum, schismate illo Acaciano[2] quinque et triginta annos[3] perdurante, 484-519, prima, ut ita dicam, adeo diutinæ discissionis stipendia fecit Orientalis ecclesia, invenerunt Acacius episcopus Constantinopolitanus, ceterique patriarchæ qui in ejus locum successerunt[4], et monachos et archimandritas qui, fide inconcussa apostolicæ Sedi adhærentes[5], constanti animo hæreticas omnes novitates repellerent[6]. In primis vero sibi nomen fecerunt Acœmeti[7], omnium fere monachorum ejus temporis, rectæ doctrinæ addictissimi[8]. Namque Cyrillus quidam Acœmetis præfectus ad Felicem papam misit qui eum de Acacii gestis facerent certiorem ac tarditatis insimularent[9]; litteræ quas Symeon Acœmeta monachus aliique nonnulli legati Romano Pontifici deferunt, in Romana Synodo anni 484 leguntur[10]. Monachus alius, idemque

1. Müller, *o. l.*, p. 18.
2. De hoc Acaciano schismate egregie disserebat Eug. Revillout, *Revue des quest. histor.*, 1er juill. 1877, pp. 83-134.
3. Kraus, *Kirchengeschichte*, p. 151.
4. Quos inter Macedonius : Fleury, *Hist. ecclés.*, VII, p. 100.
5. Acacii illius causa, exstant nonnullæ epistulæ archimandritarum Constantinopoleos et Bithyniæ ad Romanum Pontificem, et Pontificis Romani ad Constantinopolitanos archimandritas. — Baronius, ann. 484 et 485.
6. Hergenröther, *Photius*, I, p. 110 sqq., 129 ; *Hist. eccl.*, II, p. 257. — Rohrbacher, VIII, p. 429. — Kraus, *o. l.*, p. 151.
7. Acœmetas monachos tunc temporis degere in monasteriis Studii, Gomonis, Dii, Bassiani, testis est Hélyot, *Hist. des Ord. relig.*, I, 241. — Du Cange, *Constantin. christ.*, IV, 59.
8. Fleury, *ibid* — Rohrbacher, *ibid.* — Hergenröther, *Photius*, I, p. 125 : « Nicht nur die Mönche, die Akoimeten an der Spitze, sondern auch die Nonnen bewiesen sich hierin sehr standhaft. » — Kraus, *ibid.* : « Nur eine mächtige Partei in Constantinopel, an ihrer Spitze die Akoimetenmönche unterhielten die Communion mit Rom. »
9. Baronius, anno 483, n. 50. — Rohrbacher, XIII, 439. — Hergenröther, *Photius*, I, p. 122.
10. Baronius, anno 484, n. 7. — Niceph. Call., lib. XV, cap. 16, Migne, *P. G.*, CXLVII, 145.

Acœmeta, condemnati Acacii pallio sententiam defigit, propriæ quidem mortis periculo [1]. Neque ita multo post [2], Timotheus in Constantinopolitanam sedem evectus, cum vellet in ejus munere novum quendam Studitarum hegumenum collocare, isque renueret benedictionem accipere ab episcopo Chalcedonense concilium repudiante, dixit Timotheus anathema iis qui Synodum illam recusarent; postea vero, præsente imperatore, id a se factum negavit eandemque Synodum anathemate exsecratus est [3]. Adeo tunc, quod et sæpius postea patebit, monachorum religio ipsorum vel episcoporum religioni antecellebat!

Sed cum ardentiore studio veram doctrinam prosequerentur Acœmeti, accedit ut eorum fides, quæ ad id tempus omni vitio caruerat, a catholica veritate aliquantisper deficeret. Severus enim quidam, natione Scytha, religione vero monachus, cui etiam mirum in modum imperator favebat, additamentum quoddam Trisagio introducere conatus erat, nempe : « qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis [4]. » Quæ verba, cum Romanus Pontifex Hormisdas tum inutilia, tum noxia declarasset, eadem Acœmeti, immodico compulsi studio, hæretica esse edixerunt [5]; quin etiam, tum epistulas subditicias finxerunt, ut mos nonnunquam apud Græcos invaluit, quo facilius Scytharum monachorum sententiam refellerent [6]; atque in contrarium vitium culpæ fuga ducti, Nestoriique renovantes doctrinam, in tanto errore versati sunt ut contendere susti-

---

1. Héfélé, *Hist. des conciles*, III, p. 167. — Hergenröther, *ibid.*, p. 125. — Baronius, *ibid.*, n. 34. — *Acta SS.*, Februar., II, p. 162.

2. Theophanes, 158, 10. — Goar, *Animadversiones ad Theophanem*, Migne, *P. G.*, CVIII, 59.

3. Niceph. Call., *l. l.*, p. 709. — Hergenröther, *ibid.*, p. 139. Nec refert utrum ille fuerit hegumenus μονῆς τοῦ Στουδίου ut Theodoro Lectori, lib. XVI, c. 35, apud Migne, *P. G.*, CXLVII, 189, placet, an τῆς τοῦ Δίου ut Theophani, 158, 10, cum utrumque cœnobium Acœmetas monachos habuerit. Theod. Lectoris sententiam sequitur Baronius, anno 511, n. 11 : « Is qui monasterio Studii præfuerat. »

4. Georgius Hamartolos, *o. l.*, p. 764 : « ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς ἐλέησον ἡμᾶς. »

5. Baronius, anno 533, n. 3-32. — Hergenröther, *Photius*, I, pp. 137-138, 155; *Hist. eccl.*, II, 255, 270, 278. — Héfélé, III, 171. — Hélyot, *o. l.*, 240 sqq. — Fleury, XII, 340. — Rohrbacher, IX, 117. — Kraus, 153.

6. Cf. Pitra, *Analecta novissima*, t. I, p. 41.

nuerint Christum Jesum non unum esse e Trinitate, Mariamque Virginem non vere ac proprie dici Deiparam, « τὴν Θεοτόκον. » Qua etiam de re, nonnulli ex Acœmetarum monasteriis Romam missi erant [1], quos inter Cyrus et Eulogius. Romana vero Ecclesia, renovata adversus Nestorianam hæresim sententia, die 25ª Martii 534, damnavit « Acœmetas, qui se monachos dicunt, qui Nestoriani evidenter apparuerunt », nisi, errore damnato, doctrinam catholicam quantocius sequi, habita regulari professione signaverint [2].

Videtur equidem ea sententia finem fecisse Acœmetarum errori, in quem tamen non prolapsi fuerant ipsi archimandritæ, teste ipso imperatore Justiniano ad Epiphanium regiæ urbis archiepiscopum hæc scribente anno 533 : « Reverendissimi sacrorum monasteriorum archimandritæ, sequentes sanctorum Patrum traditionem, unanimiter fatentur et cum gloria annuntiant Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium esse et sine tempore ex Patre genitum...... et incarnatum ex Spiritu sancto et sancta gloriosa semper Virgine et Deipara Maria [3]. »

Theopaschitas vero ad officium revocare multo longius fuit ac difficilius. Narrat enim Georgius Hamartolos [4], anno jam imperantis Anastasii vicesimo secundo (513), in ambonem Magnæ Ecclesiæ logothetam atque eparchum ascendisse ac prædicasse « hæresim ex rege proficiscentem » ; omnem vero populum omnemque regiæ urbis multitudinem adversus eos surrexisse ita ut vix effugere potuerint. Domus autem logothetæ atque eparchi direptæ sunt et igni traditæ ; multæ aliæ ædes incensæ, multæque cædes patratæ. Veniens autem turba ad ædem sancti Mocii ab Anastasio ædificatam invenerunt ibi hegumenum monasterii sancti Philippi, quem imperator carum habebat ; illum occiderunt ejusque caput in ferro lanceæ ferentes clamabant : « Hic est amicus inimici sanctæ Trinitatis. » Corpus vero ejus et corpus cujusdam mulieris ascetriæ cremaverunt « εἰς τὰ Στουδίου. » Sed cum in sua sententia etiam atque etiam obstinatiores Theopaschitæ perstarent,

---

1. Baronius, *ibid.*
2. Baronius, *ibid.*, n. 68. — Fleury, *ibid.*, 348.
3. Baronius, anno 533, n. 22.
4. Migne, *P. G.*, CX, p. 764. — Müller, *l. l.*, 14.

decimo Justiniani imperatoris anno, 536, Romanus pontifex Agapitus adversus eos Constantinopolim Synodum convocavit[1] in qua depositus est « tanquam eorum sententiæ particeps[2] » Anthimus, episcopus Constantinopolitanus[3], in cujus locum suffectus est Menas presbyter et xenodochus « τῶν Σαμψῶν[4]. » Eodem anno, Agapito vita functo, huic Constantinopolitanæ Synodo sub Mena[5], cum ceteris episcopis atque archimandritis[6], interfuerat Cosmas Studiensis cœnobii hegumenus. Cosmas quidem jam subscripserat libello ad Agapitum papam oblato adversus Anthimum, Severum, ceterosque, isque ordine primus et tricesimus[7]; adfuit primæ[8], itemque secundæ[9], et tertiæ[10], ac quartæ Synodi illius Actioni[11]. In quinta autem Actione, habita die Junii 4ª[12], quanquam non designatur nominatim[13], ejus tamen invenitur nomen appositum libello monachorum ad Justinianum[14], ordine quidem nonum, et libello ad Menam patriarcham, quarto decimo loco[15]; quibus libellis etiam subscripsisse legitur hegume-

1. BARONIUS, anno 536, n. 21.

2. THEOPHANES, 217, 7.

3. HERGENRÖTHER, *Photius*, I, 161; *Hist. eccl.*, II, 282. — HÉFÉLÉ, III, 378. — ROHRBACHER, IX, 195.

4. THEOPHANES, *ibid.*

5. MANSI, VIII, 869, sqq. — BARONIUS, anno 536, n. 72-114. — HERGENRÖTHER, *ibid.* — HÉFÉLÉ, *o. l.*, III, 379.

6. MÜLLER, *l. l.*, 18, Agapitum quendam tunc Studii hegumenum fuisse asserit ex subscriptione quadam quæ apud Mansi, VIII, 906, legitur. Sed mihi quidem videtur non τῆς στουδίου μονῆς, at τῆς τοῦ δίου μονῆς legendum, cum in eadem illa Actione, eodemque ordine, nempe post Dalmatii monasterium, dicatur et Agapitus archimandrita τοῦ Δίου.

7. MANSI, VIII, 907 : « Κοσμᾶς πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Στουδίου ἀξιώσας ὑπέγραψα. »

8. *Ibid.*, 882 : « Κοσμᾶς τοῦ ἁγίου Ἰωάννου. »

9. *Ibid.*, 930 : « Κοσμᾶς τῶν Στουδίου. »

10. *Ibid.*, 939 : « Κοσμᾶς τοῦ ἁγίου Ἰωάννου ἐν τοῖς Στουδίου. »

11. *Ibid.*, 951, *id.* — Cf. MÜLLER, *ibid.* — HÉFÉLÉ, III, 370, 374.

12. MANSI, *ibid.*, 975.

13. *Ibid.*, 978.

14. *Ibid.*, 987 : « Κοσμᾶς ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος τοῦ ἁγίου προδρόμου καὶ βαπτίστου Ἰωάννου, τοῦ ἐν τοῖς Στουδίου ὑπογράψας ἐδεήθην. »

15. *Ibid.*, 1010. — HÉFÉLÉ, *ibid.*, 395.

nus quidam, Joannes nomine[1], Dei misericordia presbyter et archimandrita venerabilis magni monasterii Acœmetarum[2]. Laudatus quoque fuerat, inter ejusdem sessionis acta, antiquior quidam monachorum libellus ad Synodum anno 518 Constantinopoli ab archiepiscopo Joanne, sub Hormisda congregatam[3]: cui tunc subcripserat Joannes[4] presbyter et archimandrita Studitarum[5].

Ex illo tempore ad octavum usque seculum, nulla reperitur de Studitis monachis mentio neque in quinta œcumenica Synodo, anno 553, in regiam urbem convocata[6]; neque in sexta, anno 680, adversus Monothelitarum hæresim[7]; neque apud ullum byzantinarum rerum auctorem. Studitæ obscuram tunc in intimo cœnobio vitam degentes, et precibus et laboribus operam dabant, eas colligentes vires quibus pares esse possint tot tantisque mox ineundis certaminibus. Sed quo magis adversa pars metuenda, quo atrocius prœlium fuerit ac diutius anceps, eo etiam gloriosior erit vincenti corona. Ex omnibus vero certaminibus quibus interfuerunt Studitæ monachi, nunquam in tanto discrimine versati sunt quam in propugnanda sacrarum Imaginum veneratione.

---

1. MANSI, *ibid.*, 1014.

2. « Magnum illud ac venerabile Acœmetarum monasterium », idem esse censeo ac cœnobium a Joanne abbate in Bosphoro conditum, e regione Sosthenii (nunc *Istenia* sive *Stenia*) haud procul a Constantinopoli atque Irenaion nominatum. HÉLYOT, *o. l.*, I, 240. — Cf. Vitam sancti Marcelli institut. Acœmet. apud SURIUM, die 29ª Decembris, t. VI, 1020-1033.

3. MANSI, *ibid.*, 1054. — HÉFÉLÉ, *o. l.*, 293, 377. — ROHRBACHER, VIII, 616.

4. « Ἰώννης (sic) πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης τῶν Στουδίου ὑπέγραψα. » Erravit igitur MÜLLER, *o. l.*, 18, qui Cosmæ abbati successisse Joannem scripserit.

5. Notandum etiam huic libello nomen suum apposuisse Evethium diaconum et archimandritam monasterii Acœmetarum.

6. HÉFÉLÉ, III, 468, sqq. — HERGENRÖTHER, *Photius*, I, 172; *Hist. eccl.*, II, 298. — ROHRBACHER, IX, 218. — ALZOG, I, 437. — KRAUS, 154. — Teste THEOPHANE, 229, 5, hoc anno 553 vel proxime sequenti 554, « magnus terræ motus urbi Constantinopoli incubuit ac ingens damnum peperit maxime ad Chrysen portam, ædes plurimæ, balnea, ecclesiæ... damnum ingens passa fuerunt. » De hoc terræ motu, cf. apud BARONIUM, anno 533, animadv. Theiner. Haud procul ab aurea porta Studianæ ædes cum essent, non videntur tamen quidquam accepisse detrimenti.

7. De hac hæresi BARONIUS, anno 680. — HÉFÉLÉ, IV, 1-193. — ALZOG, I, 444. — KRAUS, 159. — HERGENRÖTHER, *Hist. eccl.*, II, 331.

Paucis igitur repetenda iconoclasticæ istius hæreseos historia, quæ ultra integrum seculum perstitit, omnia divina et humana permiscens, modo dirissime cæsis orthodoxis, modo quieta pace gaudentibus ; nunc aut fractis aut incensis aut inquinatis Imaginibus, nunc autem restitutis. At, ea de re, plurima etiamnunc dubia sunt ac controversa inter recentiores byzantinarum rerum scriptores [1]. Etenim, nonnulli [2], duce sollertissimo viro C. Paparrigopoulo, theologicam ipsam disceptationem non curantes, ad nobilissimum quendam finem spectare prædicant imperatores cui cognomen iconoclastæ, res videlicet ecclesiasticas a civilibus secernere, impedire ne a clericis absorbeatur respublica, præsertimque sine intermissu crescentem monachorum cohibere multitudinem, qui plurimum in civitate neque auctoritate solum sed etiam opibus valerent. « Ces empereurs, à côté de la réforme religieuse, à laquelle ils ont dû leur surnom, avaient entrepris un très sérieux essai de révolution sociale, bien supérieure, si on l'étudie au point de vue des principes, à celle qui s'est opérée en Occident 800 ans plus tard. Il est vrai que cette réforme en Orient n'a pas réussi, mais elle a laissé des traces profondes dans notre histoire, et d'ailleurs les idées d'après lesquelles elle a été conçue, la persévérance et la modération que les empereurs ont mises à la poursuivre, sont des titres impérissables de gloire pour Léon III et pour ses successeurs du VIIIe siècle jusqu'au milieu du IXe [3]. » Alii vero longe diversæ assentiuntur sententiæ, profitenturque : « Il n'y a rien à changer d'essentiel à la manière dont la conscience de la postérité a jugé la doctrine des iconoclastes, leurs violences sauvages et le mal que leur triomphe eût fait à la civilisation [4]. » Ecquid revera possit

---

1. Kondakoff, *Histoire de l'Art byzantin*, I, p. 155 : « Personne n'ignore que, de nos jours, il règne un profond désaccord dans la science historique et théologique au sujet de l'appréciation du rôle joué par les iconoclastes dans la vie politique, sociale et intellectuelle de l'Orient. »

2. C. Bayet, *l'Art byzantin*, 106-114; *Histoire générale*, I, 626-638. — Diehl, *l'Exarchat de Ravenne*, 395, 396.

3. Paparrigopoulo, *Bulletin de corresp. hellénique*, 1re année, 1877, p. 30; cf. ejusdem, *Histoire de la civilis. hellénique*, 182-241.

4. Lenormant, *Grande-Grèce*, II, 395. Quem quidem librum magnopere laudant Kondakoff, *o. l.*; Batiffol, *Revue des Quest. hist.*, avril 1893, p. 526 et Schlumberger, *un Empereur byzantin*, p. 672.

aliquam excusationem afferre tot iconomachorum sævitiis[1], tot dirutis ecclesiis, tot vastatis cœnobiis, tot excruciatis monachis? Equidem non est infitiandum in illa sacrarum Imaginum veneratione nonnulla irrepsisse vitia[2], quæ necesse sit rebus humanis omnibus inesse. Sed, ut opinor, non inde fit ut non deliquisse videantur qui, sacris omnibus spretis, innumeris in templis atque in ipsa urbe regia solitudinem fecerint. Nempe « dès l'année 733, on comptait 1,000 moines grecs d'Orient réfugiés dans la seule province de Bari. D'après les données des écrivains byzantins et des chroniqueurs italiens, on peut évaluer à 50,000 le nombre des orthodoxes, prêtres, moines et laïques, qui s'étaient transportés de la Grèce dans la Calabre et dans la terre d'Otrante pour échapper à la persécution, sous les deux règnes de Léon l'Isaurien et de Constantin Copronyme[3]. » Ceteroquin, ad sacras Imagines delendas quanquam ferro ignique dimicaverunt imperatores, quorum partes sequebantur episcopi complures, quique in administranda republica vel in exercitibus versabantur[4], cunctam tamen eorum vim vicit perseverantia monachorum a quibus plebs tota, ipsæque regii comitatus mulieres, steterant[5]. Ita, diutino illo certamine, Orientales monachi atque imprimis, ut mox patebit, Studiensis monasterii incolæ ad summam auctoritatem pervenerunt, nedum quidquam pristinæ dignitatis imminueretur[6]. Hæc enim fuit Studio cœnobio ætas, ut aiunt, aurea, qua, ob miram suorum monachorum constantiam, primum inter cetera regiæ urbis monasteria locum obtinuit.

Attamen, prioribus earum disceptationum temporibus, quænam

---

1. Cf. Paspatès, 346. — Héfélé, IV, 308, sqq. — Lebeau, XII, 253-255.

2. Bayet, *Art byzantin*, 107; *Hist. gén.*, I, 628; *Recherches pour servir à l'Histoire de la peinture... en Orient*, p. 140. — Lenormant, *ibid.*, 386. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 56. — Thomas, *o. l.*, 100-101.

3. Lenormant, *l. l.*, 387. — Kondakoff, *l. l.*, 156. — Diehl, *o. l.*, 254.

4. Diehl, *ibid.*, 396. — Lenormant, *ibid.*, 386.

5. Kondakoff, *ibid.*, 154. — Hergenröther, *ibid.*, 58. — Bayet, *Art byzantin*, 108.

6. Kondakoff, *ibid.* : « On sait combien le monachisme grandit dans ce combat qui produisit des hommes tels que Jean Damascène, les patriarches Germain et Nicéphore, et Théodore Studite. »

enituerit Studitarum virtus, nonnisi paucis dici potest, cum hoc unum inter omnes byzantinarum rerum scriptores constet, a Constantino IV Copronymo cum ceteris omnibus monachis et Studitas e suo cœnobio atque ex urbe Byzantio fuisse ejectos[1]. Defuncto autem 775 Copronymo, rursum Studium inhabitarunt monachi « sed perpauci, nec plures, ut ferunt, numero quam duodecim[2] ». Postquam vero imperium obtinuit Irenes, reddita ecclesiæ pace, eo ipso tempore quo piissimos etiam viros invenias in hæresim delapsos[3], Sabbas « ὁ εὐλαβέστατος μοναχός[4], » archimandrita atque hegumenus monasterii Studiani, adversus sacrarum Imaginum hostes, catholicam doctrinam acerrime propugnavit in œcumenica illa Nicæna anni 787 Synodo[5], in qua, multis episcopis et abbatibus præsentibus[6], imperante Irene, damnatum est iconoclastarum concilium anno 754 habitum, compluribusque testimoniis confirmatus est sacris Imaginibus exhibendus cultus, atque ab Ecclesia segregati quicunque publicata prius cœnobia ad pristinum usum non redderent[7]. Hegumenus vero ille qui inter sanctissimos eminebat[8], eo ipso tempore cum Tarasio patriarcha in contentione de lapsis recipiendis præsertimque de Simoniacis versatus est[9], neque, si Theodoro fidem faciam[10], sine justa causa. Una cum Sabba ei concilio Nicæno II subscripserat Plato cœnobii « τοῦ Σακκουδιῶνος »

---

1. Migne, *P. G.*, XCIX, p. 145 : « ὁ θεομισὴς Κοπρώνυμος Κωνσταντῖνος πάντας τε ἄλλους μονάζοντας τῆς Βυζαντίδος ἀπήλασε, καὶ δὴ μετὰ τῶν ἄλλων καὶ τούτους. »
2. *Ibid.*
3. Surius, VI, p. 62, 4ª die Novemb. in Vita sancti Joannicii. — Cf. Van den Gheyn, *Saint Joannice le Grand, abbé en Bithynie; Études religieuses*, juill. 1890, 418. « Il avait donné son adhésion à l'erreur des iconoclastes. » Nuperrime edidit eruditissimus ille hagiographus Bollandianus Joannicii vitam, *Acta SS.*, Novembris, II, pars Iª, 311, sqq.
4. Müller, *ibid.*, 19.
5. Mansi, XII, 951, sqq. — Héfélé, IV, 294, sqq. — Alzog, II, 210. — Kraus, 298. — Hergenröther, *Photius*, I, 247; *Hist. eccl.*, III, 71. — Lebeau, XII, 339, sqq.
6. Huic interfuerant 245 episcopi et abbates atque 132 monachi. — *Acta SS.*, Februar., I, 538.
7. Can. 13. — Héfélé, IV, 376.
8. Baronius, anno 787, n. 58.
9. Baronius, *ibid.* — Héfélé, IV, 385.
10. Hergenröther, *ibid.*, 81. — Migne, *ibid.*, 1041.

præpositus[1], qui extremum vitæ suæ tempus in Studio inclusus degit, cui etiam contigit ad virtutem Theodorum illum instituere cujus innumera certamina Studitis monachis singularem inter ceteros famam pepererunt. Absoluta Synodo, Sabbas suo cœnobio decem adhuc annos præfuit; quam autem ob causam, extremis Constantini IV temporibus, in exsilium missus fuerit, haud liquet; forsan propter tunc exorta adulterini conjugii imperatoris dissidia. Ea enim de re, incipiente anno 796, e Saccudione pulsus fuerat Theodorus[2], Thessalonicamque petens, dum iter ageret, Studitarum hegumenum in urbe Paula offendit. Quem occursum sic Platoni narrat : « Deinde Paulam ducti invenimus venerandam tuam sororem cum domino Sabba, et clam venimus in conspectum, totamque noctem congruo sermone duximus : tum invicem tanquam morti addictos salutantes, discessimus cum gemitu et ejulatione[3]. » Duobus post annis, cum diem supremum obiisset Sabbas, in ejus præfecturam successit Theodorus.

---

1. Maimbourg, *Hist. de l'hér. des iconocl.*, p. 249. — Müller, *ibid.* — De sancto Platone, cf. *Acta SS.*, April., I, 364-376. — Surius, VI, 925, sqq. — Migne, *P. G.*, XCIX, pp. 803-827.

2. Baronius, anno 796, n. 1. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 84. — Thomas, *o. l.*, 54.

3. Migne, *ibid.*, 916.

CAPUT IV

STUDITARUM RES GESTÆ HEGUMENO THEODORO

Cum Constantinus V, oculis effosis, die 15ª Julii 797 morti occubuisset[1], matri ejus Irenæ nihil fuit antiquius quam ut libertate donaret monachos[2] qui neque auro, neque precibus, neque exsilio, neque carcere commoveri potuissent ut initum ab imperatore cum Theodote connubium comprobarent[3]. Liberatus e carcere Plato Saccudionis præpositus[4], ab exsilio cum ceteris monachis revocatus Theodorus, in urbem regiam convenerunt, ibique paucos dies commorati, suum Saccudionis cœnobium simul repetiere[5].

Verum, cum, anno sequenti, ob Arabum incursus[6], Constantinopolim demigrassent Saccudionis monachi[7], Theodorum qui pluri-

---

1. *Vita Theodori*, Migne, *P. G.*, XCIX, p. 142. — Theophanes, 468, 20. — G. Hamartolos, Migne, *P. G.*, CX, p. 968. — Baronius, anno 794, n. 3. —

2. Baronius, anno 797, n. 3-9. — Hergenröther, *Photius*, I, 358; *Hist. eccl.*, III, 85. — Müller, 24. — Lebeau, *ibid.*, 373.

3. Baronius, anno 795, n. 45. — Lebeau, *ibid.*, 367, sqq.

4. Plato confectus senio morboque, in ergastulo quodam ipsius palatii inclusus, custodiendus fuerat traditus hegumeno illi qui adulteros coronaverat. — Theophanes, 470, 24. — G. Hamartolos, *ib.*, 965. — Baronius, anno 795, n. 15. — Thomas, 54. Cf. Theodori funebrem laud. in Platonem, Migne, *P. G.*, XCIX, p. 822 : « Καὶ ὁ θαυμαστὸς φρούραρχος ὁ τοὺς μοιχωμένους κατασκεψάμενος. »

5. Baronius, anno 797. — Migne, *ibid.*, 144, 258.

6. Migne, *ibid.*, 143, 259, 833. — Baronius, anno 798, n. 1. — Surius, VI, 927.

7. Non tunc temporis, ut minus recte Tougard *l. l.*, p. xv, sed aliquanto post, ob alias Arabum incursiones (Baronius, ann. 823, n. 19; Migne, *ibid.*, 1411) quæsiverat Theodorus præsidium in insula Πριγκίπῳ « l'île principale de ce charmant groupe des Princes », ut ait Schlumberger, *les Iles...*, p. 138. Neutra Theodori vita profugium eo tempore in insulam Principem commemorat. Ceterum constat adeo crebras fuisse Arabum incursiones, præsertim primo vere, ut ab anno 825 quinquiens exercitus ingens, ne ceteros proferam, in expeditionem ductus sit adversus Cretensem insulam Saracenorum piratarum receptaculum. — Cf. Schlumberger, *un Empereur byzantin*, 34-40.

mam gratiam apud Irenen consecutus erat, summis precibus patriarcha Tarasius ipsaque Augusta contenderunt ut Studiensis cœnobii moderator esse vellet[1]. Quod quidem, plurimas a Copronymo vexationes perpessum[2], vixque a decem tunc monachis habitatum, illata sibi detrimenta conabatur resarcire. Huic vero, hegumeno Theodoro, nec solum ut pristinis damnis mederetur, contigit, sed etiam ut, inter cetera regiæ urbis cœnobia, et virtutibus et magnitudine rerum gestarum primum locum obtineret[3].

Qua autem ratione, monasticis officiis imbuti fuerint Studitæ, alio loco dicendum. Imperante iterum Irene[4], atque etiam quattuor regnantis Nicephori prioribus annis, secura pace[5], in intimis ædibus, usi sunt Studitani monasterii incolæ, ad obitum scilicet Tarasii patriarchæ[6]. Illis enim octo annis tranquille elapsis, rursum inter monachos et imperatores aut patriarchas inita dissidia, rursum diuturna certamina, per triginta sex annos, quasi uno tenore, producta; neque prius erunt tutæ placidæque res, quam ex iconomachis demum egerit orthodoxia triumphum, anno 842.

Non eadem enim atque apud Irenen gratia valebant monachi apud Nicephorum imperatorem. Qui quidem, cum iconoclastarum more vim adhibere renueret, bona tamen Ecclesiæ iisdem atque cetera vectigalibus subjicienda curavit, monachorumque auctoritatem multis in rebus frangere conatus est, ac imprimis constituto regiæ urbis patriarcha Nicephoro, sacris quidem Imaginibus amicissimo, minus autem probato Constantinopolitanis monachis[7]. Namque huic vertebant vitio, quod ex ima laicorum sorte ad

---

1. Migne, *ibid.*, 143, 260. — Müller, 24. — Thomas, 59.
2. Migne, *ibid.*, 260. — Baronius, anno 798, n. 2.
3. Thomas, *ibid.*
4. Regno Irene ultimum depulsa, 31a Octobris 802, in insulam Principem in monasterio quod ipsa ædificaverat, deinde Lesbum relegata est. Ibi moritur, sed in Principe insula sepelitur. — Theophanes, 478, 27; 479, 8; 480, 8. — G. Hamartolos, 972, 973. — Lebeau, XII, 396, sqq. — Schlumberger, *les Iles...*, 150, 154. — Bayet, *Hist. gén.*, I, 635.
5. Cf. Thomas, *o. l.*, 59-67, « die Zeit der Ruhe ».
6. Obiit Tarasius die 25a Februarii 806. — *Acta SS.*, Februar., III, 578. — Baronius, anno 806, n. 1. — Tougard, *ibid.*, p. xvi. — Thomas, 67.
7. Bayet, *l. l.*, 635-636. — Cf. Lebeau, *ibid.*, 402. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 85.

supremum episcopatus fastigium ascendisset[1]; electus enim fuerat Nicephorus, prius imperatori a secretis, communi totius populi ac cleri atque imperatorum suffragio[2]. At Plato tunc Studii inclusus, et Theodorus Studii hegumenus, ob eam electionem, se a patriarchæ communione sejungere non dubitarunt[3], sed tamen primum secreto[4]. Mox autem majoris momenti litis exortæ aliæ causæ[5].

Etenim Josephum presbyterum illum, qui illicitis Constantini V

---

1. Theophanes, 481, 22.

2. Theophanes, *ibid.* : « ψήφῳ παντὸς τοῦ λαοῦ καὶ τῶν ἱερέων πρὸς δὲ καὶ τῶν βασιλέων. » Baronius, ann. 806, n. 8.

3. Müller, 25. — Hergenröther, *ibid.*, 86. — Lebeau, *ibid.*, 424.

4. Baronius, anno 806, n. 8-17. — Hergenröther, *Photius*, I, 262; *Hist. eccl.*, ibid. — Tougard, p. xvii. Quam Theodori a Nicephoro ut antea a Tarasio divisionem vituperarunt S. Nicon et S. Joannicius. *Cod. supp. gr.*, n. 416, f. 271.

5. Forsan nonnihil conducet semel singula vitæ Theodori tempora indicare ducibus *BB.*, *Cod. suppl. gr.*, n. 431, f. 351 :

Anno 759 natus.
— 781 seculo renuntiat et in Saccudione monachum induit.
— 784 sacerdotio initiatur a Tarasio patriarcha.
— 794 Saccudionensis monasterii præfecturam suscipit.
— 795 Constantinum imperatorem pro excommunicato habendum esse denuntiat.
— 796 Thessalonicam exsilii locum pervenit die festo Annuntiationis B. M. V.
— 797 deposito Josepho œconomo Constantinopolim redit Theodorus.
— 798 Studii monasterium intra urbem ab Augusta recipit.
— 806 Josepho in pristinum gradum restituto, a communione Nicephori abstinet Theodorus.
— 809 synodus Constantinopolitana contra ipsum cogitur : is vero librum de dispensatione ex Patrum sententiis conscribit.
— 811 Nicephoro imperatore perempto, suo monasterio restituitur Theodorus.
— 812 funebrem sancti Platonis laudationem conscribit.
— 814 resistit Leoni Armeno carcerique mancipatur.
— 816 in carcere, Leonis jussu, dirissime cæditur.
— 817 scribit ad quattuor patriarchas.
— 819 Smyrnam Theodorus transfertur.
— 821 post annum septimum quam ejectus erat Constantinopolim revocatur.
— 826 die 11a Novembris migrat ex hac vita.
— 844 sancti Theodori corpus, post 18 annos, Constantinopolim translatum fuit.

nuptiis benedixerat[1], cum, flagitante imperatore, patriarcha absque præcedenti pænitentia, absolvisset, Studitæ cuncti, duce Theodoro, totis viribus intercesserunt[2], « ita ut horum nemo cum Nicephoro qui tantum flagitium permiserat, communicare vellet[3]. » Antea jam, eadem de causa, a Tarasio discesserant cum Theodoro et Platone Saccudionenses cœnobitæ, virgasque ac carcerem aut exsilium fuerant perpessi[4]. Nunc igitur iis fatendum, se nonnisi schismaticos fuisse inanibusque rationibus discordiam in Ecclesia movisse! Quod si jam imperatori in alieno jure interpellanti non adversentur, tunc seipsos ac totius vitæ fidem prodere necessario oportebit? Quibus rebus intellegitur Theodorum Studitarum hegumenum ejusque monachos in ea de Josephi presbyteri quæstione tantum contendere potuisse, tot fuisse perpessos vexationes, imperatorem vero ut eorum voluntatem frangeret ad extrema descendisse : namque, ut recte ait Thomas[5], cum imperator et Studii abbas inter se certant, duas inter potestates, Imperium nempe et Ecclesiam, de principatu fit certamen : ipsis institutis utrinque occurritur.

Neque igitur mirum si fortissime repugnent monachi. Frustra enim, imperatoris rogatu, Synodus Constantinopoli habita, eadem quæ sæpius Mœcho-Synodus a Theodoro ceterisque appellatur, resistentium vim infringere conata est[6]; frustra præpositus in in-

---

1. Fuit Josephus « τῶν Καθαρῶν » præpositus ac postea Magnæ Ecclesiæ œconomus ; THEOPHANES, 470, 27. *Vita Theodori Studitæ*, MIGNE, *P. G.*, XCIX, 252 ; TOUGARD, p. XIII ; THOMAS, 50. — Nuptiarum illarum narrationem exscripserunt THEOPHANES, 470, 5 ; G. HAMARTOLOS, 965 ; BARONIUS, anno 795, n. 42 ; LEBEAU, XII, 364 ; HERGENRÖTHER, *Photius*, I, 255 ; *Hist. eccl.*, III, 83 ; TOUGARD, *la Perséc. icon.*, 7 ; THOMAS, 47-48 ; SCHLUMBERGER, *les Iles...*, p. 159.

2. BARONIUS, anno 806, n. 1-33.

3. MÜLLER, 25.

4. THEOPHANES, 471, 1. — G. HAMARTOLOS, lib. IV, cap. CCLVII, *Regnum Constantini*, MIGNE, *P. G.*, CX, 965. — THOMAS, *o. l.*, 54, 74.

5. THOMAS, 72 : « In der Person des Kaisers und des Studitenabtes standen zwei Mächte einander gegenüber, die um die Herrschaft stritten ; es war ein Principienkampf, der sich jetzt erhob. »

6. MIGNE, *P. G.*, XCIX, 159, 270. — THEOPHANES, 484, 25. — BARONIUS, 809, n. 1-10. — HERGENRÖTHER, *Hist. eccl.*, III, 88. — THOMAS, 83.

sulam prope Byzantium ejectus[1]; frustra reliqua fratrum multitudo intra proprium cœnobium militari manipulo obsessa est[2]. Ea autem agendi ratione, cum parum proficeret imperator, etiam tormenta movere statuit. Plato licet ætate provectus, Josephus Thessalonicensium archiepiscopus, ac Theodorus, singuli in singulis insulis[3], variis cruciatibus vexati sunt, tortoribusque utebantur iis monasteriorum præfectis qui a Nicephori partibus stabant[4]. Qui vero adhuc in Studiano monasterio degebant, quotquot a militibus inveniri potuerunt, capti atque in carceres conjecti, deinde ab urbe projecti fuerunt, ipsumque cœnobium reflorescere jam cœptum, celeriter in pejus decrevit[5]. Propositi autem tenacissimus perstabat Studii abbas, atque e tot perpessis asperrimos casus monachis, ne unus quidem inveniri potuit qui communionem cum mœchianis inire consenserit[6].

Postquam autem ista jam quadriennium passi erant Studitæ, accidit ut, mense Julio 811, Nicephorus imperator miserabiliter in bello adversus Bulgaros diem supremum obiret[7], sicut ipsi prænuntiarat Theodorus: « Scito, inquiens, te quam viam nunc egrederis, ex ea nunquam reversurum[8]. » Ejus autem filius Stauracius, in eodem prœlio vulneratus vix aliquot menses rerum potitus est[9]. Qui vero imperii habenas deinde tenuit, Michael Rhangabe, cognomine Curopalates (811-813) mox curavit et reddendam Ecclesiæ pacem et ab exsilio revocandos monachos, « præ ceteris autem

1. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 284 : « Theodorus in Chalcitanum carcerem inclusus. » Thomas, *ibid.*

2. Migne, *P. G.*, XCIX, 162, 858, 1021. — Hergenröther, *ibid.*

3. Migne, *l. l.*, 840, 1017, 1021.

4. Migne, *ibid.*, 840 : « καὶ τοὺς φρουράρχους ἡγουμένους. » Baronius, anno 809, n. 5-14.

5. Migne, *ibid.*, 840, 1070, 1074. — Baronius, anno 809, n. 8-13. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 88. — Thomas, *ibid.*, 83.

6. Migne, 840, 1070.

7. Migne, 163. — Baronius, anno 811, n. 3. — Lebeau, XII, 447, sqq. — Müller, 26. — Hergenröther, *Photius*, I; *Hist. eccl.*, III, 80. — Schlumberger, *les Iles...*, p. 25, 32.

8. Baronius, *ibid.*, n. 5.

9. Lebeau, *ibid.*, 451. — Schlumberger, *ibid.*, 25. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, 90.

Theodorum præpositum, et Platonem, et Josephum Theodori fratrem arctiori custodia mancipatos[1]. »

Vehementer quidem cupiebat inter patriarcham et Studitarum monasterii primores concordiam unitatemque reducere[2] : brevi tempore, voti compos factus est. Nicephorus enim Josephum presbyterum iterum deposuit, insuperque declaravit « quæcumque facta fuissent, imperatoris violentia accidisse[3]. » Victoriam igitur completam et perfectam reportarant Studitæ, debitumque constantiæ acceperant præmium ; si quidem illis imperator et patriarcha morem gesserant. Atque ut antea Theodorus fuerat in devitanda Nicephori societate acerrimus, ita posthac ardentissimo studio quosdam adhuc renuentes hortabatur ad communionem denuo cum patriarcha ineundam[4]. Qua autem agendi ratione exinde Theodorus Nicephorum sic sibi devinxit, ut nemo in posterum patriarchæ fuerit carior[5] ; ac si quando nova committenda erunt certamina, iisdem in armis æque strenue uterque prœliabitur.

Ac, re quidem vera, summo omnium consensu opus erat ad sustinendam imminentis periculi procellam. Namque, cum Michael imperator a militibus coactus sese ab imperio abdicare, in insulæ

---

1. Theophanes, 494, 17.

2. Theophanes, *ibid.*, 18, 19 : « μετὰ καὶ τῶν προὐχόντων τῆς κατ' αὐτοὺς μονῆς ἔσπευδεν ἑνωθῆναι · ὃ καὶ πεποίηκεν. » Cf. *Acta SS.*, Julii, III, 710. — Baronius, anno 811, n. 12. — Migne, *P. G.*, XCIX, 160. — Hergenröther, *Photius*, I, 269 ; *Hist. eccl.*, III, 90. — Lebeau, XII, 457. — Thomas, 95.

3. Baronius, anno 811, n. 13, 14. — Hergenröther, *Photius*, I, 270 : « Der Patriarch Nikephorus gab den Studiten vollständige Genugthuung ; er erklärte, er habe mit einer gewissen Epieikeia des früheren Kaisers wegen aus Furcht vor Schlimmerem die von jenen missbilligten Massregeln getroffen. » Cf. laud. funebr. in Plat., Migne, *P. G.*, XCIX, 844.

4. Migne, *ibid.*, 1110, Epistula ad Antonium hegumenum. — Baronius, anno 811, n. 15, 16. — Hergenröther, *ibid.*

5. Facta pace non diu usus erat Studitanus ille inclusus Plato ; paucis enim post diebus, die 4ª aprilis 812, mortuus est senio, assiduo anhelitu variisque morbis confectus, atque in ipso cœnobio sepultus est. — Migne, *ibid.*, 844, sqq. — Baronius, 812, n. 7. — *Acta SS.*, April., I, 364, sqq. — Hergenröther, *Photius*, I, 272. Asserit Papebroch vita functum esse Platonem anno 813, Theiner 814 ; at plerique scriptores anno 812 contendunt. Hanc Platonis chronologiam refinxerunt Benedictini, *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 232 :

Anno 734 nascitur Plato.

— 746 parentibus orbatur.

Proti monasterium quoddam fuisset relegatus[1], ei successerat Leo V (813-820); qui quidem, ut tranquillitatem foris victoria de Bulgaris relata[2] confirmavit, ita quoque domi bellum renovavit prohibendo ne sacræ Imagines colerentur. Nunquam enim arma deposuerant iconomachi quibus refertum erat adhuc imperium, imprimisque ipsa regia civitas; continenterque caput extollebant cum eorum partibus permulti inter primores reipublicæ faverent[3].

Abs re proposita est varias dinumerare vices quibus, Leone illo Armenio imperante, iconoclasticus iste furor patuerit : et monachos nonnullos ignem, ut ita dicam, excitantes[4]; et aulicos administros[5]; et complures etiam episcopos imperatori ad nutum obsequentes[6]; necnon et fictas prophetias ac mendacia miracula, omnisque generis adhibitas fallacias[7]; atque invictum Nicephori patriarchæ animum in obsistendo Leonis arbitrio[8] congregatosque ab ipso in S. Sophiam episcopos atque archimandritas ad promis-

---

Anno 758 fit monachus.
— 780 Symbolorum præfectus.
— 782 Saccudionis præpositus.
— 794 recluditur.
— 806 persecutionibus exagitatur.
— 810 ab exsilio revocatur.
— 813, 19 Martii, obit.

1. G. Hamartolos, lib. IV, cap. CCLXII, *Regnum Leonis Armenii*, p. 980. — Baronius, anno 813, n. 10. — Lebeau, XII, 472-477. — Schlumberger, *les Iles...*, 36-39, 256-259. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 91. — Thomas, 99. — Ait vero Theophanes, 502, 28, Michaelem in ecclesiam Phari confugisse ibique more monachorum detonsum fuisse.

2. Baronius, anno 813, n. 6. — Migne, *P. G.*, CVIII, 1017 : incerti auctoris *Vita Leonis Armeni*.

3. Lebeau, XII, 469. — Schlumberger, *o. l.*, 26. — Bayet, *l. l.*, 636, 637.

4. Ut Sabbatius ex monasterio Philomelion; Joannes Grammaticus cognomento Lecanomantis; Leontius Studita monachus; Zozimus. — Baronius, anno 814, n. 1-7. — Hergenröther, *Photius*, I, 274; *Hist. eccl.*, III, 91.

5. Baronius, *ibid.* — Lebeau, XIII, 13, sqq.

6. Baronius, *ibid.* — Hergenröther, *Hist. eccl.*, 91. — Lebeau, XIII, 18.

7. Lebeau, XII, 469, 470, et Maimbourg, *o. l.*, 340, 355, 359. — Bayet, *o. l.*, 636.

8. Hergenröther, *Photius*, I, 275. — Bayet, 637.

sionem inviolabiliter catholicæ doctrinæ adhærendi renovandam[1]; denique, hac audita Synodo, excandescentem ira imperatorem, accersentemque in regias ædes, ut eorum fidem labefactaret, una cum patriarcha veram Imaginum doctrinam sequentes episcopos et monachos[2]. Patriarchæ autem animum addebat, totisque eum viribus adjuvabat Studitarum abbas Theodorus, qui, cum ceteros suo ingenio, mira scientiæ copia, invictoque robore superaret[3], iis videbatur dux certus quem sequerentur.

Animadvertens vero imperator se, in conciliando sibi patriarcha Nicephoro, operam perdidisse, habita Synodo eorum episcoporum qui imperatorio arbitrio morem gerebant, illum deposuit pepulitque in exsilium[4]. Cujus in locum sedemque suffectus est Theodotus Cassiteras[5], qui laicus cum esset, primum tonsus est ac deinde die prima Aprilis consecratus.

Ex eo tempore, episcopalem Constantinopoleos urbis sedem, per septem et viginti annos sibi habuerunt iconomachi[6]. Studitarum autem monachorum minime fractus est animus exsilio patriarchæ. Immo vero, eodem anno, « ipso Palmarum die », ait auctor anonymus vitæ Theodori[7], hegumenus « rem excogitavit quæ et hostes simul ulcisci posset et nos magis magisque confirmare. Monachos omnes, qui in monasterio erant, Imagines accipere jubet easque manibus sublimes gestare, totumque cœnobii ambitum circumire, hymnum illum dicendo « τὴν ἄχραντον εἰκόνα σου

---

1. Baronius, anno 814, n. 8. — Hergenröther, *ibid.*

2. Baronius, *ibid.*, n. 9. — Hergenröther, *Photius*, I, 276; *Hist. eccl.*, 93.

3. Thomas, *o. l.*, 111 : « Alle übertraf aber an Bedeutung, Gelehrsamkeit, und rücksichtslosester Energie der Abt des Klosters Studion. »

4. Migne, *P. G.*, XCIX, 285. — G. Hamartolos, *ibid.*, 984. — Baronius, 814, n. 12. — *Acta SS.*, Martii, II, 704-728, *Vita sancti Nicephori*. — Hergenröther, *Photius*, I, 277; *Hist. eccl.*, III, 94. — Thomas, 117.

5. G. Hamartolos, *ibid.* — Incerti auctoris *Vita Leonis Armeni*, Migne, *P. G.*, CVIII, 1036. — Leonis Gramm. *Chronographia*, *ibid.*, 1041. — *Vita Theodori Stud.*, *P. G.*, XCIX, 186. — Schlumberger, *les Iles...*, p. 65. — Thomas, 119. — Lebeau, XIII, 26, 27.

6. Baronius, *ibid.*, n. 12. — Hergenröther, *Photius*, I, 278.

7. Migne, *ibid.*, 186.

προσκυνοῦμεν, ἀγαθέ »[1], et quæ sequuntur hymni sacri, atque alios pariter victori Christo triumphales hymnos[2]. »

Quo factum est ut id audaciæ indigne ferens imperator, maximas pœnas Studitanis monachis minaretur, nisi mutarent animum. At contra, magis ac magis propositi tenax hegumenus, abnuit etiam in eam Synodum se conferre quam Theodotus coegisset, præpositorumque omnium nomine[3] duas ad *pseudo-synodum* epistulas misit, quibus acerrime negabat se convenire velle ad eam contionem, absente venerabili patriarcha Nicephoro[4], eandemque congregatam ad evertendam Nicæni alterius concilii de sacris Imaginibus doctrinam[5]. Nova itaque de integro pugna inter utramque potestatem exoritur[6], hinc Rempublicam, inde vero Ecclesiam, hinc imperatorem, inde, Nicephori patriarchæ nomine, Studitarum præpositum[7]. Qua de causa factum est ut Theodorus in exsilium missus sit, ac jussus, quamdiu imperator ipse viveret, in urbem Byzantium non reverti; omnes item Studitæ e cœnobio sunt expulsi, ceterique monasteriorum præfecti ex urbe ejecti[8]. Convocatis autem, antequam huc illuc funderentur, discipulis sapienter præceperat hegumenus ut septuaginta duobus rectoribus

---

1. « Notandum eodem jam illo hymno Stephanum juniorem ejusque discipulos suam sacris Imaginibus fidem profiteri. » Migne, *P. G.*, C, 1125.

2. Cf. Baronius, *ibid.*, 33. — Héfélé, V, 198. — Hergenröther, *Photius*, I, 279; *Hist. eccl.*, 95. — Thomas, 117.

3. Migne, *ibid.*, 188. — Baronius, *ibid.*, n. 35, 36. — Hergenröther, *ibid.*

4. Migne, *ibid.* : « μικρὸς γὰρ καὶ μέγας, καὶ πάντες, ἀθρόοι καὶ καθ' ἕνα, τῷ ἑαυτῶν συνδεδέμεθα πατριάρχῃ · καὶ αὐτοῦ ἐχόμεθά τε καὶ διαπαντὸς ἑξόμεθα. »

5. Baronius, *ibid.*, n. 36-40. — Thomas, 119.

6. Thomas, *ibid.*, 114.

7. *Ibid.*, 115 : « Ueberhaupt trat er jetzt an die Spitze der Opposition, er übernahm die Führung der Partei der Bilderfreunde, er stützte den Patriarchen, der seinen Rathschlägen folgte, und nichts wider Theodors Willen that. » — Hergenröther, *Photius*, I, 280 : « Theodor war damals der geistige Mittelpunkt aller Orthodoxen des griechischen Reiches; an ihr richtete man Anfragen über die verschiedensten Punkte der kirchlichen Disciplin. Alles suchte ihn auf; seine Wächter liessen, theils aus Ehrfurcht vor ihm, theils durch Geschenke gewonnen, die Besucher zu. »

8. G. Hamartolos, *ibid.*, 984. — Leo Gramm., *ibid.*, 1041. — Baronius, *ibid.*, n. 12.

se traderent[1], abirentque omnes quo via cuique salutem ostenderet[2], neque quisquam in cœnobio post ipsius discessum remaneret[3]. Quam prudenter illa monuerit monachos, mox probavit eventus.

Exsul deducitur Theodorus in castrum cui nomen Μέτωπα[4] in Mysiæ et Bithyniæ finibus, una cum discipulo strenuoque fidei propugnatore et confessore Nicolao[5]; deinde vero in longinquam alteram arcem Boneta dictam[6], quo rarius difficiliusque posset discipulis scribere eosque ad fortiter patiendum exhortari[7]. Interea ceteros Constantinopolitanos abbates jam in Urbem revocaverat imperator[8], sperans se facilius, absente Studitarum antistite, ad suam sententiam eos adducturum. Equidem brevi tempore voti compos factus est : exeunte anno 815 vel incipiente 816, hegumeni nonnulli[9] dolorum metu fracti ac debilitati, eo adducti sunt ut ab orthodoxa fide deficerent, magno quidem scandalo magnaque fidelium ruina. Quorum casus ut audivit, acerbe deflevit[10] Theodorus permultis[11] in epistulis ad Josephum fratrem[12], ad Nau-

---

1. Migne, *P. G.*, XCIX, 287.

2. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 280.

3. Migne, *ibid.*, 190, 267. — Baronius, *ibid.*, n. 43.

4. Migne, *ibid.*, 288. — Cozza Luzzi, VIII, *Epist.*, X, p. 10.

5. *Vita sancti Nicolai : Acta SS.*, Februar., I, 538, sqq. — Baronius, anno 814. — Cozza Luzzi, *ibid.*

6. Migne, *ibid.*, 190, 288. — Tougard, *l. l.*, p. xxiv. — Thomas, 125. — Cozza Luzzi, *ibid.*, 10; *Epist.*, LXXV, p. 61.

7. Migne, *ibid.*

8. Baronius, anno 815, n. 3.

9. Migne, *ibid.*; *Epist.*, lib. II, 9, p. 1140 : « Ἰωσὴφ ὁ μοιχοζεύκτης, ὁ Φωτεινουδίτης, ὁ Ἡρακλειώτης, ὁ Μηδικιώτης, ὁ Μυλιανός, ὁ Ὑπολυχνιώτης, ὁ Γουλαιάτης, ἀλλὰ φεῦ τῆς ἁμαρτίας μου! ὅτι καὶ ὁ Φλουβοτηνός... ὑφορμηθέντες παρὰ τοῦ εἰωθότος κατεργάζεσθαι τὰ τοιαῦτα Ἰωσήφ, ἐξετράπησαν ὀπίσω τοῦ Σατανᾶ, κοινωνήσαντες ἅπαξ καὶ δὶς τοῖς ἀσεβέσιν. » — Cf. Fleury, X, 205, 206; Tougard, *la Perséc. icon.*, p. 22, 23.

10. Baronius, anno 815, n. 11, 12, 13. — Migne, *ibid.*; *Epist.*, II, 9, 10, 11, 22, 23, 33, 44, 182.

11. Baronius, anno 816, n. 25 : « Credi vix potest, quot hoc tempore litteras scripserit... numerum excedit ducentarum epistularum summa. »

12. Migne, *ibid.*; *Epist.*, II, 9, p. 1041; 31, p. 1201.

cratium[1] ceterosque monachos[2], ad episcopos[3], ad moniales[4], ad Mariam reginam[5], ea impartiens consilia quæ cujusque condicioni convenirent. Sed cum quædam ex illis Theodori epistulis, qua Constantinopolitanam Ecclesiam « segmentum hæreticum[6] » prædicabat, Romanam autem præconiis extollebat, ad imperatorem esset delata, isque insuper cognovisset clericum quendam[7] qui prius iconoclasticis partibus faveret, de sua sententia a Studita motum fuisse, multo etiam longius eum relegare jussit[8]. Igitur, post tres annos in illa Bonitensi custodia[9] elapsos, in arctiorem carcerem, Nicolao comite, Smyrnam deducitur, Maio mense, anno 819[10]; qua in urbe, ab episcopo iconomacho « viro inter hæresis patronos principe, impietatisque magistro[11] » dire excruciatus est[12].

Quales autem, variis rerum temporibus, tanto duce ac doctore, se præstiterunt Studitæ monachi ? Cum viam exsulibus exsul ipse monstrare dictis non posset, scriptis saltem præpositus discipulos hortabatur ad res adversas patienter tolerandas, cum suam agendi rationem defendebat, tum rectam doctrinam explicabat, fideles ad perseverandum incitans, dispersos consolans, lapsos, si qui essent, ad pænitendum provocans, imprimisque, ut in suam sententiam

---

1. *Ibid.; Epist.* 10, p. 1141 ; 11, 1145 ; 36, 1212 ; 40, 1237 ; 63, 1281 ; 65, 1285 ; 67, 1293 ; 71, 1300 ; 73, 1305.

2. *Ibid.*, 2, p. 1120 ; 6, 1128 ; 16, 1164 ; 17, 1168 ; 20, 1179 ; 21, 1180 ; 22, 1186 ; 23, 1188 ; 27, 1193 ; 28, 1196 ; 30, 1200 ; 32, 1204 ; 37, 1221 ; 38, 1229 ; 42, 1241 ; 62, 1277 ; 64, 1284 ; 66, 1289 ; 72, 1303.

3. *Ibid.*, 4, p. 1121 ; 14, 1157 ; 15, 1160 ; 26, 1192 ; 41, 1240 ; 70, 1300.

4. *Ibid.*, 19, p. 1176 ; 59, 1273.

5. *Ibid.*, 181, p. 1560.

6. MIGNE, *ibid.; Epist.*, II, 8, p. 1132 : « τῇ ἀποστολικῇ δὲ καὶ ὑπ' οὐρανὸν Ἐκκλησίᾳ τὰ ἴσα φρονοῦντες · αὕτη γὰρ ἡ Βυζαντιαία τμῆμα αἱρετικόν, ὡς εἴωθισται αὐτῇ πολλαχῶς τῶν ἄλλων ἀποσχίζεσθαι. »

7. BARONIUS, anno 816, n. 6. — HERGENRÖTHER, *Hist. eccl.*, 95.

8. BARONIUS, *ibid.* — HERGENRÖTHER, *ibid.*

9. BARONIUS, *ibid.* — MIGNE, *ibid.*, 294. — THOMAS, 127.

10. BARONIUS, anno 816, n. 16. — MIGNE, *ibid.*, 202. — HERGENRÖTHER, *Photius*, I, 280 ; *Hist. eccl.*, ibid.

11. BARONIUS, *ibid.*, n. 21. — MIGNE, *ibid.* — HERGENRÖTHER, *ibid.*

12. MIGNE, *ibid.*, 300. — THOMAS, 127.

adduceret eos qui dissentirent, omni ope contendens[1]. Universos ac singulos vehementer rogat ut memoria teneant « monachi munus esse ut nec tantillum sinat in Evangelio innovari[2]. » Monasticus enim ordo, ut Theodoro placet, quasi ea cohors esse debet quæ vigilias agit in castris, eo arctiori disciplina instructa, atque eo fidelior quo pluribus obsistendum sit hostibus. « Ne quæras, aiebat, perfugium in multitudine; frustra mihi hominum myriades persuaderent ut diem noctem putem. Servato Noe subversam multitudinem, si videtur, tu antepone, mihi autem permitte ut cum paucis ad arcam convolem. Adjunge te, si placet, multitudini Sodomorum, ego verum cum Lot abibo, quamvis solus turbæ utiliter se subducat.... Enimvero mihi etiam reverenda multitudo, non inquisitionem fugiens, sed demonstrationem præbens; non amare ulciscens, sed paterne castigans; non novitate gaudens, sed paternam retinens hereditatem. Quamnam vero multitudinem mihi prædicas? blanditiis et muneribus conductam? imperitia et ignorantia captam? metu et terrore prostratam? quæ brevem peccati usuram æternæ vitæ prætulit? quod multi aperte confessi sunt. Multitudine mendacium defendis? hinc mali vim declarasti : quo enim ad plures malum pertingit, tanto major est calamitas[3]. » Illa vero scribebat Theodorus Athanasio cuidam monacho qui Mœchianorum partes quas prius impugnarat, postea fuerat secutus. Ex ea autem Athanasii agendi ratione, ut videtur, non sibi exemplum sumpserunt ceteri monachi, cum ei ad officium revocando, virtutis constantiæque documentum petatur a tot cœnobiorum præpositis, tot monachis, quibus nec vincula, neque in remotissimas regiones exsilium, Liparam nempe ultra Siciliam, aut Chersonem, invicti animi robur potuerint frangere[4].

---

1. Migne, *ibid.; Epist.*, pp. 1029, Basilio hegumeno; 1037, 1063, Josepho archiepiscopo Thessalonicæ; 1045, Theophilo hegumeno; 1031, Euprepiano et iis qui cum ipso degunt; 1041, Arsenio filio; 1069, Athanasio filio; 1084-1096, Naucratio filio; 1101, Stephano lectori, et iis qui cum ipso degunt, etc.

2. Migne, *ibid.*, 1050. *Epist. Theophilo hegumeno :* « ἔργον δὲ μοναχοῦ, μηδὲ τὸ τυχὸν ἀνέχεσθαι καινοτομεῖσθαι τὸ Εὐαγγέλιον. » Cf. Baronius, anno 809, n. 29.

3. Migne, *ibid.*, 1084. — Baronius, anno 809, n. 41.

4. Migne, *ibid.*, 1072.

Neque tamen est infitiandum, quanquam perpetuo « ad majorum exempla provocabat[1] » hegumenus, nonnullos e tanta monachorum multitudine a virtute discessisse, rectam fidem deseruisse, ipsum etiam cucullum abjecisse. Miscebantur etenim cunctæ res, divinæ atque humanæ, cum imperator quisque jus sibi tribueret intimis mentibus imperandi, reperiretque nec solum episcopos, sed etiam episcoporum Synodos, qui mandata, in modum servorum, facerent. Ne quis igitur sit admiratus quod, cum tot monasteriorum præfecti[2] a veritate deflexerint, tot geminæ fuerint frontis, « orthodoxæ simul partis et hæreticæ[3] », immo, cum nonnulli etiam, cum Stylitæ, tum inclusi[4], in errorem lapsi fuerint, non omnes Studitæ vel impendio sanguinis catholicam fidem tueantur. O utinam, cum « flagellis cædunt orthodoxos, membra mutilant, carceribus afficiunt, in vincula conjiciunt, nares abscindunt, oculos eruunt, barbas comburunt, sanguinem fundunt, saccis inclusos in mare demergunt[5], » utinam tunc, male habentibus discipulis, præsens adfuisset[6] Theodorus corpore sicut et epistulis! Impedivisset profecto ne multi caderent, ii saltem quos postea e lapsu erigere contigit. Namque, duo ex illis quos secum habuerat in suo exsilio Bonitensi laborum socios, Lucianus atque Hypatius[7], patienter quidem cum eo persecutiones perpessi, mox ab eo remoti defecerunt, at deinde profusis lacrymis pænitentiam egerunt[8]. Alium monachum, Evarestum nomine, qui « abjecto evangelico indumento » uxorem duxerat, summis precibus ad officium revocat : « τὸ φῶς, inquiens, γέγονας σκότος · ἡ Χριστοῦ εὐωδία ὁ ἱερός, μιαρός · ὁ τίμιος, ἄτιμος · ὁ ἔνδοξος, ἄδοξος · ὁ φιλητός, μισητός ·

---

1. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 255.
2. Cf. Migne, *ibid.*, 1140. — Tougard, *la Perséc. iconocl.*, 11.
3. Auvray, *Parva Catechesis*, p. 315 : « τοιοῦτος ὁ Ἡρακλειώτης, τοιοῦτος ὁ Καθαρηνός... εἰσί πως ἀμφοτεροπρόσωποι. »
4. *Ibid.*, 140.
5. *Codex suppl. gr.*, ibid., f. 128. — Cf. Migne, *ibid.*, 1272.
6. Cf. *Parva Catechesis*, 347 : « Atque utinam ales sim, ut volitem atque in singulis contuberniis acquiescam, visurus ibi omnes et pro officio compellaturus. »
7. Cozza-Luzzi, *ibid.; Epist.*, 78, p. 64. — *Cod. suppl. gr.*, n. 416, f. 122.
8. Cozza-Luzzi, *ibid.*, p. 64; *Epist.*, 113, p. 100; *Epist.*, 130, p. 115. — Migne, *ibid.*, 1260. — Tougard, *l. l.*, 26.

ὁ ὁμολογητής, ἀρνητής... οὐκ αἰδῇ κἂν τὸ ὄνομά σου, ὅτι Εὐάρεστος καλούμενος, Δυσάρεστος ἐχρημάτισας[1]. »

Lapsi etiam sub idem tempus, Orestes et Aphrates[2]. Similiter dæmoni præda factus est « ὁ ἐλεεινὸς Μέμνων » ; ceciderat, quod solitarius degeret[3], at is « demum aliquando resipuit[4]. » Quam ob causam, eos qui, sæviente persecutione, solitarii degunt, miseratur ac deflet « quod tanquam parata dæmoni præda objecti videantur. Etenim si ovem e caula lupus arripit, quanto magis extra ovile nactus palabundam interimat[5]. » Hoc pacto, primum a suo hegumeno, deinde vero a recta fide transfugæ facti sunt Hermias, Nectarius, Pegasius. Quin etiam Pegasium « ferunt eo flagitii provectum, ut dignitate a rege accepta, populo præfuerit, bella moverit, cædes perpetraverit, et vitam ipse suam homicidio abruperit[6]. » Ammon quidam, et ipse monachi habitum abjecerat, inter laicos degebat, atque uxorem duxerat : quem Theodorus mollissimis verbis ad pænitentiam excitat ac tandem perducit. « Ubi, ait, emissum ad sacram aram votum ?... Quid factum est, frater ? non veritus es saltem intuentes ? non hunc ipsum aerem erubuisti ? tunc mentis compos ? vivisne ? num solem intueris ? an lunam cernis ? an sidera aspicis ?... Veni itaque, veni confestim ad nos peccatores. Ego animam meam pono pro te ; ego pro salute tua sponsor : ego miser cum Deo amantius te quam olim amplectar[7]. »

Alius autem, « ὁ καλὸς Εὐπρεπιανός[8], » monasticæ vitæ initia optime fecerat, atque œconomus cum esset Saccudionis[9], mira sua adversus Mœchianum errorem constantia, omnium oculos in se converterat[10]; sed in media Leonis Armenii persecutione, cum et ipse

---

1. MIGNE, *ibid.*, 1357.
2. COZZA-LUZZI, *l. l.*, *Epist.*, 74, p. 60. — *Cod. suppl. gr.*, n. 416, f. 280.
3. *Parva Catechesis*, p. 404.
4. *Ibid.*, p. 129.
5. *Ibid.*, p. 348.
6. *Ibid.*, p. 347, *De Hermia;* cf. MIGNE, *Epist.*, 37, p. 1229; *de Nectario*, cf. TOUGARD, *l. l.*, p. 26.
7. MIGNE, *ibid.*, 1333.
8. MIGNE, *ibid.*, 1050.
9. *Parva Catechesis*, p. 32.
10. MIGNE, *ibid.*, 1031, 1042, 1050.

a ceteris fratribus recessisset [1], plurimam sollicitudinem Theodoro intulit [2] : « Captus est, aiebat, Euprepianus, cujus causa mœreo, finem prævidens [3]. » Etenim monasterii pecunia, ut erat procurator, in proprios usus direpta, agros, vineas, boves, ovesque, coemerat, ac famulabatur mulieri, « defunctus quidem non temporali sed æterna morte, abrupta in Evæ amplexibus vita [4]. » Maxime vero omnium miserandus Leontii monachi lapsus. Qui quidem primum Mœchianis adhæserat, deinde præpositi sui doctrinam de Imaginum cultu pertinaciter impugnaverat [5], immo quasi princeps iconomachorum factus erat [6] ; eam ob causam a Leone Armenio, ante annum 816 [7], « et Studianum cœnobium obtinuit et Saccudioni injuste dominabatur [8]. »

Leontius iste, « εὐνούχων γένος [9] », prius antea discipulus, quin etiam, unus inter fratres eminentiores, non simpliciter « εἰκόνα » dicebat, sed « ἁγίαν εἰκόνα », sive Christi, sive Deiparæ, sive cujuslibet Sanctorum ; nunc factus erat negator judaïzans, ac contra fratres exsurgens, sacras Imagines incendebat et abolebat, « insanientis instar feræ blasphemans [10] ». Qua agendi ratione, imperatori factus carissimus, ac prædictis monasteriis potitus, monachos, ut sententiam mutarent, dirissimis vexationibus exagitabat. Hæc enim

1. *Parva Catechesis*, p. 32 : « Cui si socius adfuisset, quantumvis cecidit, poterat rursum socii ope consurgere. »

2. *Ibid.*, p. 637. — Tougard, *l. l.*, 27.

3. Cozza-Luzzi, *l. l.* ; *Epist.*, 65, p. 53.

4. *Parva Catechesis*, p. 31. — Tougard, *ibid.*

5. Müller, 44.

6. Migne, *ibid.*, 1203 : « καὶ νῦν προστάτης τῶν εἰκονομάχων. »

7. Epistula Theodori (Migne, *ibid.*) de Leontio conquerentis data est anno 816, ab exsilio nempe Bonitensi.

8. Migne, *ibid.* — Baronius, anno 816, n. 36, 43 ; anno 818, n. 19. In epistula Theodori ad lauram S. Sabæ (Migne, *ibid.*, 1164, sqq.) manifeste his verbis ad Leontium alluditur : « φερόμενοι φοιτηταί, κατὰ τῶν ἡγουμένων, ἆθλον τῆς ἀποστασίας τὴν προεδρίαν κομιζόμενοι. » Minime vero constat quamdiu Studio præfuerit Leontius ; patet autem ex alia Theodori epistula (Migne, *ibid.*, 1292) quam et Baronius ad annum 818 assignavit, Leontium pristini erroris pænitentiam egisse atque ad meliorem frugem se recepisse.

9. Migne, *ibid.*, 1229.

10. Migne, *ibid.* : « ὡς θὴρ μαινόμενος βλασφημῶν. »

Theodorus Studitis tribus monachis a Leontio excruciatis[1]: « Salvete in Domino, fratres ac Patres ; salvete, milites Christi ; salve, fratrum trias, sanctæ Trinitatis gratia dives, vere digni talibus salutationibus, quia propter Christum generose durissimum carcerem patimini, a Leontio nefario vexati. O Judaicam apostasiam ! Si agrestis fera esset, satiari utique jam posset, sanguinem vestrum tamdiu pœnis fundens et hauriens. At nunc insatiabilis manet sanguinis potor dæmoniacus, nullum sensum misericordiæ, nullam humanitatis commiserationem erga vos suscipiens, agnos Christi, sed affligens, omnique modo devorare vos cum Satana moliens : ut glorietur draco ; ut per vos, nos omnes etiam perterrefaciat. »

Sed, eodem Theodoro judice, frustra sævierat Leontius[2]. Circumpositam enim esse, ait, « nubem martyrum[3], » quos longum est dinumerare. At inter ceteros, magnam inconcussa constantia famam adepti sunt Carterius, « ὁ φερωνύμος καρτερόψυχος Καρτέριος », Aphtonius, « ὁ ἐν ὑπομονῇ δεδαψιλευμένος, ἀφθονώτατος Ἀφθόνιος », Agapius, « ὁ εὐσθενημένος τῇ θείᾳ ἀγάπῃ ἀληθέστατα Ἀγάπιος[4] ». Alius vere Athanasius est « opere ac verbis[5] » ; alio in loco, beati Domitianus, Zozimas, Marcus, Terentius ad imitandum proponuntur[6] ; exornantur laudibus Philippus et Philo et Gaïanus[7] ; et presbyter Dorotheus et admirabilis Bessarion, et strenuissimus Tithoes[8], et « vita angelica et exercitatissima[9] » Timotheus, ac

---

1. Migne, *ibid.*, 1271. — Baronius, anno 818, n. 20. — Cf. Cozza-Luzzi, *o. l.*, *Epist.*, 259, p. 209. — *Parva Catechesis*, p. 347, 651. — Tougard, *la Perséc. icon.*, p. 15.

2. *Ibid.*

3. *Ibid.* : « Καὶ ποῦ καιρὸς ἐξαριθμεῖν τὸ περικείμενον ἡμῖν νέφος τῶν μαρτύρων ; »

4. Migne, *ibid.*, 1271.

5. Cozza-Luzzi, *ibid.* ; *Epist.*, 8, p. 8.

6. *Parva Catechesis*, 141.

7. Migne, *ibid.*, 1084.

8. Migne, *ibid.*, 205, 301. — Baronius, anno 820, 821, n. 44.

9. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 313 r. : « Timotheus Studita, Platonis discipulus, multa pro Dei causa patitur, per plures dies protrahit jejunia, quinquaginta plagas accipit, disertus, vita angelica et exercitatissima, inter Sanctos relatus. »

« τῆς εὐθυμίας ἐπώνυμος » Euthymius[1]. Ad quem Euthymium sic scripserat, lætitia elatus, hegumenus : « Quis humilitatis meæ aures rumor circumsonuit ? Quis nuntius ærumnosam animam meam repente stupore affecit ? Euthymius filius meus genuinus inter martyres cum aliis novem est, quorum nomina Ephrem, Aphrodisius, Amonas, Hyperechius, Stephanus, Parthenius, Hegesimus, Symeon et Dorotheus[2]. » Septem alii fratres[3], de quibus nimis anxius et sollicitus fuerat, alii etiam decem et novem[4], atque alii plurimi quorum longius est nomina proferre, in religiosæ vitæ disciplina, medias inter vexationes sibi semper constantes, nullam officii partem deseruere.

Attamen prætermittendos nolim inclytos illos martyres Jacobum et Thaddæum, tot Theodori epistulis celebratos. « Ingressus erat Jacobus stadium tanquam Christi miles impavidus, intrepidus : hinc et inde tenebrarum ministri terga verberibus laniarunt, pectora, brachia ; sanguinem hauserunt, carnes conciderunt, stratum humi sanctum reliquerunt, cum... martyrium Deo acceptum expleret, et hæc pro Christo Filio Dei ac Deo nostro. Nam pro sancta ejus imagine decertare, pro ipso est martyrium pati[5]. »

Thaddæus autem, natione Scytha erat ac Theodori, ut videtur, libertus, quem pretio emptum monachorum albo ipse adscripserat[6]. Qui quidem « in Studiano monasterio monachus factus ab omnibus diligebatur. Jejunio, vigilia, silentio, obœdientia, chameunia commendatus ; vi compulsus calcare sanctissimas Imagines crudeliter vulneratur : pro mortuo per plateas tractus, triduo

---

1. Migne, *ibid.*

2. Cozza-Luzzi, *ibid.; Epist.*, 108, p. 96. Sæpius nominantur decem illi fratres : « οἱ δέκα ἀδελφοί. » — *Cod. suppl. gr.*, n. 416, f. 65.

3. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 280. — Cozza-Luzzi, *Epist.*, 65, p. 53 : « οἱ ἑπτὰ ποῦ καὶ πῶς εἰσι καὶ διεγένοντο καὶ λίαν κάμνω. »

4. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 65.

5. Migne, *ibid.*, 205, 301, 1353. — Baronius, anno 820, 821, *ibid.* — Auvray, *Parva Catechesis*, p. 396, 466, 652. — Tougard, *la Perséc. icon.*, 25, 26.

6. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 284. — *Parva Catechesis*, 108.

superstes animam Deo reddit, æqua martyribus perpessus, in Leonina persecutione primus martyr [1]. »

Ex illa adeo decora morte, miram Theodorus lætitiam effundit in epistula ad Naucratium : « Morti pro Christo datus est Thaddæus ramus meus, viscera mea, filius obœdientiæ, surculus pietatis, Apostoli cognominis ; gaudium immensum, incredibilis lætitia ! Oro te, sancte Dei Thaddæe, intercede pro me indigno famulo tuo, neque enim audeo te filium appellare [2]. »

Unde vero Studitis monachis accesserit ea virtus rebus in adversis, jam significatum est. Nempe primum ex invicta hegumeni sui fortitudine, quem nec carceres, nec verbera, neque exsilia, neque etiam discipulorum suorum cruciatus potuerint superare ; dignus quidem quo tanta monachorum multitudo [3] duce uteretur ad prœlium. Etenim cum mira in agendo vi et in dicendo facundia sit præditus, innumeras scribit epistulas, quas ad discipulos in singulas imperii regiones mittat, militibus animum confirmans, aptissima cuique ostendens [4]. Neque solum epistulis [5] compluribus laborandi se exemplum præbet ; quidquid enim supererat temporis, vel componendis libris [6], vel scribendis carminibus [7], vel piis

---

1. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 264. — MIGNE, *ibid.*, 204, 1181. — BARONIUS, anno 818, n. 7. — HERGENRÖTHER, *Photius*, I, 280 ; *Hist. eccl.*, III, 96.

2. MIGNE, *ibid.*, 1124, 1125, 1224. — *Parva Catechesis*, 106, 158. De hoc Thaddæo, sic TOUGARD in animadv. ad *Parv. Catech.*, 642 : « Duas tantum epistulas Theodorus ad eum scripsit. At in quindecim circiter aliis de eo cum egregiis laudibus loquitur... Qui a presbytero Theophylacto sepultus, nunquam videtur liturgicis honoribus insignitus. » Quæ quidem, mea sententia, non ita recte. Nam, in *Actis SS.*, Novemb., XI, 321, *Annus Græco-slavicus* hæc habet : « Die 29ª Novembris, memoria sancti Marcelli hegumeni Acœmetarum et sancti Thaddæi, confessoris Studitæ. »

3. THOMAS, 121 : « Ihm zur Seite standen die Mönche mit nicht sehr zahlreichen Ausnahmen und einige Bischöfe und Priester. »

4. BARONIUS, anno 814, n. 1-56. — MAIMBOURG, *o. l.*, 336-372. — KRAUS, 299. — HERGENRÖTHER, *Photius*, I, 273.

5. Quo brevius simul et occultius suis discipulis scriberet, consueverat Theodorus viginti quattuor litteris eos designare vel de quibus sermonem faceret, vel quibus sæpius epistulas mitteret. — MIGNE, *ibid.*, 1060. — CEILLIER, XVIII, 499. — HERGENRÖTHER, *Hist. eccl.*, III, 89.

6. BARONIUS, anno 809, n. 42, 47.

7. BARONIUS, anno 818, n. 24. — MIGNE, 1277 : « ἀπέσταλκά σοι βιβλιδάκιον καὶ τετράδας δεκατέσσαρας · ἐφ' οἷς εἰσι λόγοι καὶ βίοι τῶν ἀδελφῶν ἐμμέτροις στίχοις. »

operibus impendebat, nunquam certe « minus otiosus quam cum otiosus. » Quod ipse peragebat, id etiam ut præstarent monachi, vehementer curabat, prædicabatque desidiam quasi pestem esse fugiendam. Ubi enim labor adest, « subeundi nullum locum habet peccatum[1]. »

Jam supra monuimus quanta sollicitudine eos obsecraretur ut secessionem devitarent « offensionis causam. Hinc nempe scandala, hinc lapsus[2]. » At imprimis præcipuæ curæ habet hegumenus ut nemo monasticæ pietatis officio desit; « Oportere, ait, eos qui vitam in secessum agunt, singulis diebus, si quidem fieri possit, participare divinam communionem[3]. » Ex illa consuetudine a monachis servata, cum adversa fortuna conflictarentur, plurimam opem fuisse allatam, hoc animum inducit ut credam quod de se ipse profitetur Theodorus[4].

Postquam autem omni ratione studuit arctissima disciplina instruere monachos eosque prœliis sustinendis pares efficere, omni etiam ope contendit ut bellum componat. Facit enim certiores de iis quæ accidissent, patriarchas Alexandriæ[5], Antiochiæ atque Hierosolymorum eosque enixe rogat ut, « saltem subsidio precum, si aliter juvare non possint[6] », afflictis rebus succurrant. Maxime vero curat sive per litteras, sive per legatos admonendum Romanum Pontificem[7]; ad Petrum utique vel ejus successorem, quidquid in Ecclesia catholica per eos innovatur qui aberrant a veritate, necesse est referri[8]. » Est enim Romanus Pontifex

1. *Parva Catechesis*, 362.
2. *Ibid.*, 248.
3. Migne, *ibid.*, 1112, 1116. — Ceillier, *l. l.*, p. 500. In eadem epistula scribit Theodorus exsul se ad divinam liturgiam conficiendam calice uti vitreo peculiari; quod postea etiam turbulentis temporibus accepimus factitatum.
4. Migne, *ibid.*
5. Migne, 1155. — Baronius, anno 817, n. 26. — Hergenröther, *Photius*, I, 281.
6. Migne, *ibid.*, 1159.
7. Baronius, anno 809, n. 14. — Thomas, 85-89.
8. Migne, *ibid.*, 1017 : « πρὸς Πέτρον ἤτοι τὸν αὐτοῦ διάδοχον, ὁτιοῦν καινοτομούμενον ἐν τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ παρὰ τῶν ἀποσφαλλομένων τῆς ἀληθείας, ἀναγκαῖον ἀναφέρεσθαι. » Exstant duæ Theodori de Mœchianis epistulæ (Migne, *ibid.*, 1017 et 1022; Baronius, anno 809, n. 14 et 18) τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ κορυφαιοτάτῳ Πατρὶ

« petra fidei super quam ædificata est Ecclesia catholica[1]; manifestus Apostolorum principis successor; adversus omnem hæreticam procellam tranquillus sepositus Ecclesiæ universæ portus : electa civitas refugii salutis[2]. » Quibus epistulis[3] commotus Pascalis I misit ad Leonem Armenium imperatorem[4] legatos qui eum ad mitiores sensus atque ad Ecclesiæ Romanæ de imaginibus sententiam adducerent; at operam perdiderunt, neque magis Pascali morem gessit Armenius quam, in priore illo adversus sacras Icones certamine, Leoni papæ Isauricus; et quamdiu nefarius ille imperator rerum potitus est, nulla ecclesiasticis in urbe Constantinopoli rebus intercessit mutatio; immo, ad extremum vitæ tempus, ita crudeliter in sanctarum Imaginum amicos sæviit, ut tyranno Pharaoni, ac Juliano illi apostatæ atque impio regi Achab similis merito renuntiatus sit[5]. Istorum etiam instar, diem supremum misere obiit[6], propria manu Michaelis Balbi enecatus, ipso natali die Domini, anno 820[7].

Tertio autem die postquam regnum adeptus est, Michael edictum posuit ut omnes exsilio vel carcere soluti, libere ad propria

---

Πατέρων Λέοντι; qui quidem sæpius vocatur : θειοτάτη τῶν ὅλων κεφαλῶν κεφαλή (*ibid.*, 1017); ἀρχιποίμην τῆς ὑπ' οὐρανὸν Ἐκκλησίας (*ibid.*, 1020); ὁ κορυφαιότατος ἀποστολικός (*ibid.*, 1029).

1. Migne, 1152 : « πέτρα τῆς πίστεως, ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμηται ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία. »

2. *Ibid.*, 1156 : « Καὶ ὄντος ἔγνωμεν, οἱ ταπεινοί, ὡς ἐναργὴς διάδοχος τοῦ τῶν ἀποστόλων κορυφαίου προέστη τῆς Ῥωμαϊκῆς Ἐκκλησίας... Ὑμεῖς οὖν ὡς ἀληθῶς ἡ ἀθόλωτος καὶ ἀκαπήλευτος πηγή, ἐξ ἀρχῆς, τῆς ὀρθοδοξίας · ὑμεῖς ὁ πάσης αἱρετικῆς ζάλης ἀνῳκισμένος εὔδιος λίμην τῆς ὅλης Ἐκκλησίας · ὑμεῖς ἡ θεόλεκτος πόλις τοῦ φυγαδευτηρίου τῆς σωτηρίας. »

3. Exstant duæ manu Theodori epistulæ ad Pascalem I, scriptæ nomine quattuor (epist. prior, *ibid.*, 1152) aut trium (epist. posterior, *ibid.*, 1156) hegumenorum Constantinopoleos.

4. Hergenröther, *Photius*, I, 282; *Hist. eccl.*, 97.

5. Baronius, anno 821, n. 23. — Hergenröther, *ibid.* — Schlumberger, *les Iles...*, p. 65.

6. Baronius, anno 821, n. 23. — Hergenröther, *ibid.* — Schlumberger, *ibid.* — Bayet, *Hist. génér.*, I, 637. — Thomas, 135.

7. Migne, *ibid.*, 303. — G. Hamartolos, *ibid.*, 996. — Leo Grammaticus, *l. l.*, 1041. — Fleury, X, 205, sqq. — Hergenröther, *Photius*, I, 283; *Hist. eccl.*, III, 98. — Thomas, 135, ac præsertim Lebeau, XIII, 37, sqq. et Schlumberger, *les Iles...*, 68-71.

redire possent[1]. Exeunti e custodia Studitarum præposito nihil fuit antiquius quam ut iter Constantinopolim dirigeret, « quo dispersos congregaret discipulos suumque repararet monasterium[2]. » Sed ea quæ de imperatore spes concepta erat, minime diuturna fuit. Frustra enim ab illo petierunt Nicephorus[3] et Theodorus ut, in ipsa urbe Constantinopoli neque solum in ceteris regionibus, sacrarum Imaginum cultus restitueretur[4], atque instauraretur rupta cum Romano Pontifice communio[5]. Transierat equidem hiems, perfectum tamen ver non erat, sed tantum brevis quædam serenitas : exstincto igne, supererat fumus[6]. Quin etiam, cum ad regias ædes se Theodorus pro sacris imaginibus atque orthodoxa fide dicturus contulisset, statim e palatio atque ex ipsa urbe egredi jussus est, quasi qui rempublicam misceret[7]. Ita, quæ ceteris in provinciis colere pium esset, eadem in urbe Constantinopoli venerari nefas habebatur! Moxque etiam rursus exsilia, carceres[8], ac dirissima supplicia nonnullis episcopis ac monachis admota sunt. Theodorus vero regia urbe discedens se recepit « εἰς τὰ Κρησκεντίου » ad discipulos suos, ibique deinceps asceticum vitæ cœnobiticæ certamen peregit[9]. Cum autem Thomas, dux rebellis,

---

1. Baronius, anno 821, n. 25, 26. — Hergenröther, *Photius*, I, 284; *Hist. eccl.*, ibid.

2. Baronius, *ibid.*, n. 28.

3. Ab exsilio quidem revocatus Nicephorus erat, minime vero in patriarchalem sedem restitutus, in quam evectus est, anno 821, iconomachus Antonius episcopus Syllæus. Hergenröther, *Photius*, I, 283-285; *Hist. eccl.*, III, 99. — Schlumberger, *les Iles...*, 165.

4. Migne, *ibid.* 317. — Baronius, anno 821, n. 36-39. — Hergenröther, *ibid.* — Thomas, 137.

5. Migne, *ibid.*, 1329 : « Αὕτη γάρ (Romana nempe ecclesia) aiebat Theodorus, ἡ κορυφαιοτάτη τῶν Ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, ἧς Πέτρος πρωτόθρονος, πρὸς ὅν ὁ Κύριός φησι · Σὺ εἶ Πέτρος, κ. τ. λ. »

6. Migne, *ibid.*, 1311. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 99.

7. Migne, *ibid.*, 221, 317. — Baronius, anno 821, n. 12-16. — Lebeau, XIII, 41.

8. Lebeau, XIII, 41 : « Michel se proposa pour modèle Constantin Copronyme, le héros des iconoclastes... On ne parla plus que d'exils, de prisons, de supplices. » — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 99. — Héfélé, V, 232-235.

9. Migne, *ibid.*, 318, 222. — Baronius, anno 821, n. 45. — Thomas, 137.

Urbi ipsi immineret[1], revocati sunt Constantinopolim monachi qui a parte Theodori ac Nicephori steterant : « non quod Cæsar illorum saluti consuleret, sed quia metuebat ne quis forte ad Thomæ consortium deficeret, quia hic sacras Imagines admittere ac venerari dicebatur[2]. » Interfecto autem Thoma (823) et liberata Urbe obsidione, « Byzantio excedens in proximam Acritæ peninsulam quæ dicitur Sancti Tryphonis navigavit Theodorus[3]. » Verum in eam solitudinem receptus, non desinebat, sicut et in ceteris exsiliis, « per omnem regionem urbemve, salutares medelas per suas epistulas mittere, concilians adducensque ad orthodoxam fidem complures[4] ; » ipsi imperatori, litteris eximia doctrina refertis, catholici dogmatis veritatem asserendam susceperat[5]. Ad eum convenire solebant « et sanctissimorum præsulum præcipui, et hegumenorum permulti, et monachorum gradu eminentiores[6], » neque solum ab urbe regia, sed etiam « ex qualibet longinqua insula et oppido concurrebant certatim homines videndi ejus causa et suscipiendæ benedictionis, viaticum ad virtutem et in pietate profectum[7]. » Fidem enim quam in ipsa urbe regia prædicare fuerat vetitus, eandem acerrime in exsilio Acritensi nunquam non propugnabat ; duce Theodoro etiamtunc Studitæ monachi in prima fortium illorum virorum acie versabantur qui, imperatorio obsistentes arbitrio, pro Ecclesiæ libertate decertarent, ita ut, de quovis orthodoxam doctrinam defendente, quasi in proverbium venisset dicere : « Studita est[8]. »

Ipse vero Theodorus Nicephorum et ipsum exsulantem sæpius

1. Migne, *ibid.*, 317. — Leo Grammaticus, *l. l.*, 1044. — Baronius, anno 821, 822, n. 10. — Thomas, *ibid.* — Lebeau, XII, 43-57.

2. Migne, *ibid.*, 319. Videtur quidem Studitas quosdam tunc Thomæ partes tutari. Narrat enim Lebeau (*ibid.*, 54) Gregorium unum e rebellantibus ducibus apud se habuisse Studitam quendam monachum, quem, cum ille a Thoma deficere cogitaret, de ea re ad imperatorem miserat.

3. Migne, *ibid.*, 221, 319. — Baronius, anno 823, n. 17.

4. Migne, *ibid.*, 323.

5. Baronius, anno 823, n. 8, 14.

6. Migne, *ibid.*

7. *Ibid.*

8. *Ibid.*, 1416. Hæc enim Leo Sacellarius, cum Studitam quendam benigne excepisset : « Στουδιώτης ὑποπτεύομαι πρός τινων τῶν ἀντιθέτως πρὸς ὑμᾶς ἐχόντων. »

adibat [1], sibi invicem animum addentes ; iisdem etiam temporibus, Joannicium anachoretam « virum a Deo honoratum [2] » ad Olympum in Bithynia montem invisit [3] : uterque profecto inter Orientales illius ætatis monachos clarissimus, maximæque virtutis opinionem habens. Quo in Acritensi cœnobio, cum tertium annum exsularet, plurimis perfunctus laboribus, septimum ac sexagesimum annum agens, ex hac vita migravit Theodorus, die undecima novembris 826 [4]. « Ejus autem corpus ex ea peninsula ad insulam Principem delatum est atque ibi sepultum [5]. »

Impavidus igitur athleta ille qui tam strenue pro recta doctrina imprimisque pro sacris Imaginibus decertarat, inter Ecclesiam atque Imperium reconciliatam pacem non erat visurus; at saltem, et dictis et factis, Studitarum hegumenus ejusque discipulorum fortissima phalanx, omnibus mens quædam libera quid valeret declaraverant, maximeque omnium, et labore continuo, et infracto animi robore, valuerant ad mox restituendam orthodoxiam [6].

1. Migne, *ibid.*, 221, 319. — Baronius, anno 823, n. 17.
2. Sic Theodorus, post invisum Joannicium, Migne, *ibid.*, 1385.
3. Van den Gheyn, *Études religieuses*, juillet 1890, p. 424 : « La célèbre montagne de Bithynie était, en même temps qu'une pépinière de saints, le rendez-vous d'esprits fort cultivés. » *Ibid.*, 432 : « ... Nous n'exagérons pas en affirmant qu'après Théodore Studite, saint Joannice a été le plus populaire et le plus vénéré des moines de son temps. »
4. Migne, *ibid.*, 224, 321. — *Acta SS.*, Februar., I, 539. — Baronius, anno 826, n. 41-50. — Fleury, X, 279. — Hergenröther, *Photius*, I, 287 ; *Hist. eccl.*, III, 99. — Thomas, 138. — *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 283.
5. Migne, *ibid.*, 229, 325.
6. Cf. Kurth, *les Origines de la civilisation moderne*, I, 277 : « L'histoire doit inscrire avec reconnaissance..... le nom de saint Théodore le Studite et de la généreuse phalange de ses disciples, qui firent voir, pour la dernière fois, à leur peuple dégénéré, ce que c'était qu'une conscience libre. »

CAPUT V

RES GESTÆ AB OBITU THEODORI HEGUMENI

A mortuo Studita illo Theodoro ad redditam Orientali Ecclesiæ pacem, summa vi contenderunt iconoclastæ suam hæresim stabilire, maxime vero cum Michaeli successisset ejus filius Theophilus (829-842). « Fuit enim, ait Baronius, imprimis illud novi imperatoris inventum, ut in mandatis daret quæstoribus suis, ut a singulis sub Orientali sibi subjecto imperio constitutis, cum tributum capitationis exigerent, pariter de cujusque ipsorum fide quæstionem haberent essetne quisquam ex eis cultor Imaginum. Quod si quis ejusmodi inventus esset fidei Orthodoxæ confessor, is mox conjiceretur in carcerem, pœnas daturus acerbiores, nisi ipsum cultum sacrarum Imaginum publice detestaretur [1]. »

Quid autem in illa turbulentissima tempestate facti sunt Studitæ monachi? Quot præ metu suppliciorum regiæve gratiæ cupiditate lapsi? Quantus vero confitentium invicto animo fidem numerus? Tot quæsitis jam non facilis est responsio. « Etenim dolemus non ad hæc tempora Theodorum supervixisse Studitam, qui tantæ persecutionis epistularem, pro more suo, nobis reliquisset historiam: nam vix paucis ex veteribus fragmentis in lucem vindicatis, quam plurima relinquere sepulta cogimur; verumtamen sic res se habet, ut ex his paucis multa lector sagax satis conjicere possit [2]. » At saltem constat inter omnes qui illorum temporum historiam reliquerunt, Studitas monachos in instaurando Imaginum cultu præci-

---

1. Baronius, anno 830, n. 2. De hoc etiam Theophilo scripsit, *ibid.*, n. 1, Baronius : « hac ex parte ceteris superius nominatis imperatoribus iconoclasticis habitus est deterior. » Cf. Héfélé, V, 305; Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 100; Lebeau, XIII, 125-130; Bayet, *Hist. gén.*, I, 637.

2. Baronius, *ibid.*, n. 1.

puas partes habuisse[1]. Namque defuncto Theophilo iconomacho, imperium nomine quidem obtinuit hujus filius Michael trium annorum puerulus, re vero ipsa hujus mater Theodora[2].

Quæ quidem, quanquam Imaginibus addictissima earumque cultum restituere vehementer cupiens, tamen, ob Theophili conjugis memoriam atque potentem iconoclastorum factionem, consilium suum perficere non audebat[3]; interea, omnes ea de re exsules reducere, aperire carceres jusserat. Simulque cum Theodora dubius hærebat unus e tutoribus imperatoris, Manuel; nec quisquam de ea hæresi demum eruenda, libere atque aperte dicebat. Sed cum in gravem morbum incidisset Manuel, omnisque vitæ spes erepta videretur, ad eum venerant nonnulli e Studii monasterio monachi, qui eum jam decessisse audierant, « hymnos funebres celebraturi[4]. » Postquam autem illum adhuc spirantem viderunt, incolumitatem sinceram ei promiserunt, si iconomachorum exstingueret incendium, sacrarumque Imaginum cultum restitueret. Quod statim pollicitus Manuel, breviori tempore, præter omnium exspectationem, e morbo recreatus est. Quæ igitur voverat, persolvit, moxque, deposito e sede patriarchali Joanne Lecanomante iconoclasta, in ejus locum evectus est Methodius, ille « præcipuus fidei orthodoxæ athleta[5] », cujus cura congregata est in urbem regiam Synodus ad iterandos Nicæni alterius concilii canones; omnes qui ab iconomachis stabant anathemate percussi sunt[6]; erectio atque restitutio sacrarum Imaginum, die Februarii undecima 842, celebri pompa facta est, annuusque festus dies « Orthodoxiæ » indictus, quem etiamnunc, sollemni ritu, dominica prima Quadragesimæ, celebrant Orientales ecclesiæ[7]. Tunc cani cœpti sunt,

---

1. Theophanes Continuatus, Migne, *P. G.*, CIX, lib. IV, 1, p. 164. — Baronius, anno 842, n. 9, 10. — Lebeau, XIII, 161. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, 101. — Héfélé, V, 307. — Paspatès, *o. l.*, 346.

2. Hergenröther, *ibid.* — Paspatès, 345. — Héfélé, *ibid.*

3. Hergenröther, *ibid.* — Héfélé, *ibid.*

4. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 254.

5. *Acta SS.*, Junii, II, 960, in vita sancti Methodii.

6. Baronius, *l. l.*, 8-15. — Héfélé, V, 307, sqq. — Hergenröther, *ibid.* — Paspatès, *ibid.*

7. Baronius, *ibid.*, n. 25.

neque unquam postmodum intermissi, duo « victoriales Canones » quorum alter a Theophane illo Grapto [1] scriptus est, alter vero Studitæ Theodori nomine prolatus [2].

Sub idem tempus, videtur Naucratius Studii œconomus, unus ex acceptissimis Theodoro discipulis [3], ab exsilio revocatus, Byzantium rediisse [4]; tunc vero « pro certaminum merito, multo cum honore ab imperatrice ipsoque patriarcha susceptus vir inclytus, eorum rogatu, sacræ fratrum sodalitatis in unum tunc congregatæ in venerabilissimo Studii monasterio præfecturam suscepit [5]. » Naucratio hegumeno, Studitarum cœnobium, totiens desolatum, in pristinum splendorem restitutum est, « eratque rursus novo vigore vegetum Christi illud ovile, velut cuidam paradiso simile, multas virtutum rosas ac spiritus suaveolentiam adspectare volentibus præstans [6]. » Ab initio autem præfecturæ, sancti Theodori corpus ab insula Principis ad Studii cœnobium transferre aggressus est, una cum Saccudionis hegumeno Athanasio qui suppetias ferebat [7]; eorum vero rogatui benigne obsecutus fuerat Methodius patriarcha. Die dicto, nempe 26 Januarii 844, « Studienses et Saccudienses monachi cum aliis procul monachis ad insulam Principis transfretant ut corpus Theodori transferant [8]. » Quod quidem

---

1. Baronius, *ibid.*, n. 28, sqq. Theophanes ejusque frater Theodorus hierosolymitani monachi, e laura sancti Sabæ Constantinopolim venerant, temporibus Theophili, ad propugnandum sacrarum Imaginum cultum. In eorum fronte imperator ardenti ferro contumeliosos versus incidi jusserat, unde eis cognomen « οἱ Γραπτοί. »

2. Censet Baronius (*ibid.*, n. 28) carmen alterum, Studitæ Theodori esse non posse, qui ante ea tempora ex hac vita migraverit, sed alicujus ex discipulis ejus, et fortasse Naucratii. Refertur canon ille Epinicius apud Migne, *P. G.*, XCIX, 1767, sqq. Cf. Müller, 44. De hoc canone etiam infra, p. 108 et 109.

3. Huic plurimas epistulas, dum exsulabat, scripserat Theodorus. Cf. Migne, *P. G.*, XCIX, pp. 1050, 1070, 1083, 1090, 1095, 1123, 1142, 1146, 1207, 1211, 1238, 1275, 1282, 1286, 1294, 1299; Cozza-Luzzi, VIII, pp. 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 37, 38, 39, 40, 50, 51, 52, 53, 54, etc...

4. Baronius, anno 842, n. 33. Cf. *Acta SS.*, Junii, II, 135 : de sancto Naucrato seu Naucratio præposito Studitarum.

5. Baronius, anno 842. — Müller, *o. l.*, 45.

6. *Acta SS.*, ibid. — Baronius, *ibid.* — Tougard, xxxiii.

7. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 302.

8. *Ibid.*

integrum repertum[1], ac magna cleri ac populi frequentia in Studiense cœnobium delatum, summo honore prosecuti sunt patriarcha, ipsa Theodora imperatrix, et cuncta regia civitas[2].

At non ita multo post, bellum rursus geri cœptum est. Etenim Studitæ nonnulli, nimium quidem memores dissentientis olim a Tarasio atque a Nicephoro Theodori, præsumebant Methodii patriarchæ acta judicare[3]. Quibus ille scribens : « Tu monachus es, aiebat, neque tibi licet pontificum acta ad trutinam revocare ; nam subjectus iis esse debes, non eosdem subjicere vel de ipsis inquisitionem instituere[4]. » Quin etiam voluit Methodius ut anathemate ferirent ea quæ a Patre suo Theodoro adversus Nicephorum et Tarasium sanctissimos patriarchas Constantinopolitanos scripta essent ; sin minus, « sint et ipsi a Patre et Filio et Spiritu sancto anathema et catathema[5]. » Et cum nonnulli, neque solum ob eam causam, sed etiam ob alias quasdam ab ipsis confictas, sui impotentes ac minus ceteris sapientes[6], sese a communione patriarchæ sejunxissent, adversus eos Methodius anathema pronuntiavit[7], decrevitque schismaticos nunquam recipiendos esse ut sacerdotes sed ut meros laicos[8]. At neque epistulæ, neque anathemata

---

1. *Ibid.*, f. 184.

2. Baronius, anno 844, n. 26. — *Acta SS.*, ibid. — Migne, *ibid.*, 232, 328. — Hergenröther, *Photius*, I, 394. Eodem die, Thessalonica Constantinopolim in idem cœnobium delatum etiam fuerat corpus Josephi archiepiscopi, fratris Theodori.

3. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 184, 255. — Migne, *P. G.*, C, 1293, 1295, 1296. — Kondakoff, *o. l.*, I, 181. — Hergenröther, *Photius*, I, 353.

4. Migne, *l. l.*, 1277 : « Σὺ μοναχὸς εἶ, καὶ οὐκ ἔξεστί σοι ἐξετάζειν τὰ τῶν ἱερέων, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαί σε χρή, καὶ οὐκ ὑποτάσσειν οὐδὲ ἐξετάζειν αὐτούς. »

5. *Ibid.*, 1295.

6. Kondakoff, *l. l.* « La mésintelligence régnait au monastère de Stoudion, et les moines les plus prudents blâmaient les emportements des Stoudites de second ordre. »

7. Migne, *ibid.*, 1296.

8. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 184 et 255. De hac quæstione cf. Van den Gheyn, *Études relig.*, *l. l.*, 427, 428. « ... Nous n'avons pas à entrer ici dans le fond de cette question, qui demeure controversée... Saint Joannice appuya vigoureusement le patriarche. Ses deux biographes, Sabas et surtout Pierre, qui ne mesure pas toujours ses expressions, sont très montés contre les moines Studites. »

Methodii, rebellantium offirmatam voluntatem potuerunt frangere, adeo ut neque vel cum jam obituro Methodio communicare vellent[1]. De hac Studitarum agendi ratione quanquam non est ambigendi locus, mirandum tamen est de eo dissidio neque in Naucratii neque in Methodii Vita quidquam fuisse proditum[2]; ita ut scriptor vitæ Naucratii, illum plenissime laudans quod magistri Theodori vestigiis insecutus sit, hæc dixerit :

Τὴν Ναύκρατος γῆν ἐκπερῶν, ἐπιτρέπει
Τὴν ψυχικὴν ναῦν τῷ κυβερνήτῃ Λόγῳ[3].

Vita defuncto, die 18ª Aprilis 848, Naucratio, alius Theodori discipulus successit, Nicolaus, hujus antea « socius certaminum et plagarum[4], » tanto muneri non impar ; cujus etiam laudes in sancti Nicolai Romani Pontificis epistula ad Michaelem imperatorem[5]. Natus igitur Nicolaus in Creta insula, vix decem annorum puerulus Byzantium venerat in Studiense cœnobium, ut inviseret Theophanem quendam monachum cognatum suum, ibique, in eo « illustri ac clarissimo virtutis gymnasio[6], » omnes disciplinas didicerat. Leone Armenio imperante, cum Theodoro Metopam, et Bonetam ac deinde Smyrnam in exsilium missus, fame, siti, nuditate, verberibus fuerat conflictatus ; ad Acritense promuntorium etiam versatus, cum diem supremum obiit Theodorus[7]. Postquam autem Naucratius et ipse vita migraverat, primum per triennium (848-851), Studitis Nicolaus præfuit[8], deinde a præpositura se abdicans,

1. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 255. Defunctus est Methodius, anno 846. Cf. *Acta SS.*, Junii, II, 960 et 1106.

2. *Ibid.*, de sancto Naucratio, p. 135. De sancto Methodio, 960-969. Cf. Hergenröther, *Photius*, I, 353, 354.

3. *Acta SS.*, ibid., 135. — Müller, 46.

4. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 202.

5. *Acta SS.*, Februarii, I, pp. 538-556 . *Vita sancti Nicolai Studitæ ;* apud Migne, *P. G.*, CV, p. 870, sqq. — Hergenröther, *Photius*, I, 394.

6. *Acta SS.*, ibid., p. 540. — Müller, 47.

7. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 202.

8. *Acta SS.*, ibid., 548. Exstat (apud Migne, *P. G.*, XCIX, 940-944) Theodori epistula Nicolao cuidam discipulo in præpositum electo, in qua varia hegu-

Sophronio in successorem renuntiato, in solitudinem Phirmopolim se recepit. Sophronio autem « qui divinus plane vir, et diutissime vixit, et huic cœnobio præfuit, et miracula a Theodoro edita diserte retulit[1], » iterum triennium (855-858) Nicolaus, rogatu monachorum, in hegumeni munus successit. Sed non ita multo post, cum Ignatius, sanctissimus ille patriarcha, jussu Bardæ Cæsaris, e sua sede dejectus esset atque in insulam Terebinthum relegatus[2], noluit Nicolaus cum intruso Photio inire communionem, et discipulos ad constantiam hortatus secessit e monasterio, Prenetumque in portum Bithyniæ, contra Nicomediam se contulit[3]. Insurrexerant enim tunc, incitante ipso Barda, partes quædam adversus piissimum illum Ignatium, qui Bardæ arbitrio minime morem gerens, nec blanditiis impulsus, nec minis perterritus, monasticum habitum Theodoræ ejusque sororibus imponere noluisset, atque ipsi, propter insontis uxoris repudium et cum cognata sibi sponsa consuetudinem, Ecclesia interdicere non dubitarat[4]. Quas ob causas, remoto Ignatio, erectus erat e laico statu Photius in patriarchalem sedem, quam, primum, decem annos occupavit. Huic vero magna monachorum multitudo vehementer obstitit, imprimisque Studitarum[5], quorum quidem complures una cum Nicolao hegumeno, ut videtur, in exsilium pulsi sunt[6]. Ut autem discipulorum animos confirmaret, sæpius locum Nicolaus hegumenus mutabat. Aliquando vero ab imperatoris satellitibus comprehensus palatium adducitur, comite Evaresto Studita monacho; coram imperatore

---

meni officia recensentur. De qua vero præfectura agatur nos fugit cum illius nulla facta sit in Nicolai vita mentio : fortasse de spirituali tantum ut ex his verbis : « πνευματικῆς σου μονῆς » conjicere licet.

1. Migne, *ibid.*, 310, 211.

2. Baronius, anno 861, n. 1. — Lebeau, XIII, 205, sqq. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 386 ; *Photius*, I, 372. — Schlumberger, *les Iles...*, 36-38, 269.

3. Baronius, anno 858, n. 50. — *Acta SS.*, ibid., 548. — Lebeau, *ibid.*, 209. — Hergenröther, *ibid.*

4. Baronius, *ibid.* — Lebeau, XIII, 205. — Hergenröther, *Photius*, I, 368-370 ; *Hist. eccl.*, *ibid.*

5. Hergenröther, *Photius*, I, 393 ; *Hist. eccl.*, III, 387.

6. Apud Baronium, *ibid.*, animadvers. 17. Cf. Rohrbacher, XII, 167, 168.

sistitur, tantaque verborum dignitate propositum defendit ut omnibus adstantibus fuerit admirationi. Inde vero dimissus ad Samuelem quendam se recipit. Cognito magistri adventu, ad eum toto numero discipuli conveniunt, ut cum non possent Samuelis ædes eos continere, locum Constantinopoleos, Cocorubii dictum, emptum is dederit Nicolao. Quem autem Studitarum concursum ægre ferentes et Michael imperator et Bardas, Nicolaum in Studii cœnobium includi jusserunt[1]. Interea, in ejus locum alius abbas præpositus fuerat Studitis[2]; quin etiam, quo obsistentium animos facilius frangerent, quam sæpissime imperator ac patriarcha hegumenos alium alii sufficiendos curarunt[3].

Primus in præfecti officium subrogatus est Achillas, qui munus illud ita certe explevit ut potestatem habentibus satisfecerit, cum quinto post anno, archiepiscopus factus sit Nacoliæ in Phrygia. Cui successere Theodosius, huic cœnobio unum annum præfectus; dein Eugenius menses quattuor[4]; postea Theodorus iste, qui, a Photio in sacerdotem atque episcopum consecratus, adeo famosus exstitit cognomento suo Santabarenus. De quo enim hæc Symeonis Magistri annales[5]: « Manichæi filius et Manichæus erat; ac velut junior annisque minor vix capitali exemptus sententia per Bardam Cæsarem, meliori fruge componendus Studii monasterio traditus est. Ibi tamen, quanquam monachi assumpto habitu, a priore nihil pravitate emersit. Ceterum Photii prima tyrannide in eo monasterio præfecti munus gessit. » Attamen, quo spectabat callidus patriarcha, id nondum assecutus est. Namque Santabareno antistite, « religiosi omnes monachi — πάντες οἱ εὐλαβεῖς τῆς μονῆς — fugam iniere, cum non sustinerent Photii se communione commaculari[6] ». Præfuerat Theodorus Santabarenus

---

1. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 52 et 202.
2. Lebeau, XIII, 210.
3. Hergenröther, *Photius*, I, 395; *Hist. eccl.*, III, 387.
4. *Acta SS.*, ibid., 549. — Hergenröther, *Photius*, ibid. — Müller, 49.
5. Symeonis Magistri *Annales*, Migne, *P. G.*, CIX, p. 755.
6. *Ibid.* — *Acta SS.*, ibid. — Hergenröther, *Photius*, I, *ibid.* — Tougard, xlix. Cf. Hirsch, *Byzant. Studien*, 67, 69, 336, 371. De Theodoro Santabareno, sic Rambaud, *l'Empire grec*, p. 162. « Il (l'empereur Basile)

annum unum [1], postea vel cucullum abjecturus. Qui illi successit, Sabas, et ipse Photio acceptissimus, per triennium Studium administrans, adversus Nicolaum dirissime sæviit, veluti in carcere duos annos in proprio cœnobio habitum [2].

Ergo, intra decem annos, quinque hegumeni, Photii partium studiosi, cœnobio Studiensi præfuerant; multisque modis tentatam obsistentium monachorum constantiam brevi ipse perfringendam confidebat patriarcha. Sed, die 23ª Septembris 867, Michaele imperatore sublato, Basilius Macedo regnum adeptus est. Qui quidem, cum populi votis satisfacere vellet, atque optime de Ignatio sentiret, eum in patriarchalem sedem restituit, Photio in monasterium relegato [3]. Imperator autem unaque Ignatius patriarcha summis precibus Nicolaum hortati sunt ut Studii cœnobii curam recipere vellet. Primo quidem « multum renuit amore solitudinis, tandem compulsus præest rursum Studio, omnesque monachi dispersi ad eum redeunt, præter Paphnutium et Evarestum [4]. » Sed paulo post, morbo correptus est in Cocorubii cœnobio, in quo se humandum esse profitetur; lacrymis vero Studitarum deterritus, ac ma-

---

fréquentait des pervers, comme ce magicien Santabaren, un moine défroqué, qui l'infecta de ses hérésies, le mit en commerce avec les démons en faisant l'invocation sacrilège de son fils défunt Constantin, manqua par ses artifices et ses calomnies de le rendre meurtrier de son fils Léon. « C'est ce sacrilège « Photius, s'écrie-t-il en mourant, c'est son acolyte Santabaren qui m'ont « éloigné de Dieu, m'ont rendu étranger à la science véritable, m'ont entraîné « avec eux dans la même damnation. »

1. *Acta SS.*, ibid. — Müller, 50. Cf. Appendicem I.

2. *Acta SS.*, ibid. — *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 202. — Müller, *ibid.*

3. Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 403. — Lebeau, XIII, 246. — Schlumberger, *les Iles...*, p. 285.

4. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 202. De quibus in eodem Codice, f. 84, hæc leguntur : « Evarestum laudibus ornatum Cocorubii præpositum constituit Nicolaus et Paphnutium œconomum. Evarestus natus est anno mundi 6327, Christi 829, 17ª Aprilis, sexto anno Leonis Armenii; oriundus Galatia Constantinopolim venit. Ad Scopelum quendam locum progressus, a sene quodam tonsus, ad Studii monasterium missus est. Omni genere virtutum se exercet, circulos ferreos circa lumbos et humeros gerit, nudis pedibus incedit... Cum venisset Constantinopolim hospitatur apud consanguineum Bryennium patricium qui a Theodora in Bulgarium mittitur, comite Evaresto. Obit annos 79 natus. Ejus corpus in monasterio Cocorubii jacet. »

nibus monachorum elatus lecto jacens in Studii monasterium transfertur, ubi supremum diem obit, die 4a Februarii 868 [1], non prius tamen quam successorem designavit Clementem, antea œconomum [2], eundemque forte, ut videtur, qui magno illi Theodoro comes ac discipulus atque a secretis fuerat [3].

De cujus præfectura perpauca adsunt dicenda : omni ope contendebat Clemens ut corporibus animisque requiem redderet, ac floreret Studium et numero et virtute monachorum ; sed tot tantarumque persecutionum vis, ad extremum, Studitis animum retuderat, neque unquam ad pristinam dignitatem exsurgere valuit monasterium [4]. Immo, cum e vita migrasset 23a die Octobris 877 Ignatius, iterumque patriarchalem sedem obtinuisset Photius [5], mox fuit manifestum minime diuturnam fore obsistentium defensionem ; namque Photiana mente hegumeni monachos ejusdem sententiæ quam plurimos in Studium arcesserant, ita ut quasi multitudine circumiretur orthodoxa phalanx, hujusque partes plane desperatæ apparerent [6].

Clementi successerat Hilario [7] ; Hilarioni Anatolius [8] ; huic autem Arcadius [9] ; deinde Anatolius alter qui abbatiale munus gessit

---

1. *Ibid.*, ff. 52, 84, 202.

2. *Ibid.*, 51, 202. — *Acta SS.*, ibid., 550. — Hergenröther, *Photius*, I, 396. — Müller, 50.

3. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 51. « Clemens Studii aliquando præfectus, Theodori a secretis... Clemens Studii præpositus, notarius S. Theodori Studitæ. » Migne, *P. G.*, XCIX, p. 1341 (*Epist.*, II, 90) : « Ὁ γραμματοφόρος, ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν υἱὸς Κλέμης, ὁ εὐλαβέστατος ἡγούμενος. »

4. Hergenröther, *Photius*, ibid. « Die Macht dieser schweren Verfolgung brach die moralische Kraft der Studiten fast gänzlich ; das Kloster erlangte niemals mehr seinen alten Glanz. »

5. Lebeau, XIII, 299, sqq. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 417.

6. Hergenröther, *Photius*, I, *ibid.* : « Die photianisch gesinnten Aebte und die neu aufgenommen Glieder hatten die Opposition der Art geschwächt, dass sie bald bedeutungslos geworden schien. »

7. *Acta SS.*, ibid., 536. — Müller, 50.

8. *Acta SS.*, April., I, 266. — Müller, *ibid.*

9. *Vita Euthymii*, I, 27.

saltem ab anno 916 [1], ad annum 932 [2] vel etiam 940 [3] ut ex nonnullis, illo hegumeno, scriptis fit manifestum. Temporibus igitur vivebat Constantini Porphyrogeniti, apud quem, in libro de Cærimoniis aulæ byzantinæ, memoriæ proditum est ad illud sancti Joannis Baptistæ Studii cœnobium se celebri pompa conferre solitos fuisse Byzantinæ urbis imperatores die Augusti 29ª qua divi Præcursoris recolitur obtruncatio [4]. Hæc enim Porphyrogenneta : « Totus senatus in scaramangiis mane convenit in monasterium Studii ; magistrique et patricii et officiales stant extra portam quæ ad mare respicit ; cubiculum autem et basilici et maglabitæ et hetæria et archontogennemata stant in portu ubi dromo appellit. Monachi autem illius monasterii stant in serie gemina, dextra sinistraque, ab illa inde extima porta usque ad portum. In quo appellentes domini, egrediuntur e nave, proceduntque præcedentibus monasterii Studiani hegumeno thuribulum fumans gerente et monachis cum cereis ardentibus. Dominos, ut ad eam portam appropinquarunt, in qua stant magistri, patricii et officiales, adorant in humo procidentes, et relevati prosequuntur eos iidem. Sic præeuntes domini per atrium ascendunt et transeunt porticus quæ ibi sunt, et sic perveniunt in dextram orientalem partem narthecis, ubi saga sua auro septa induunt, et accensos figunt cereos ; porroque interius una cum sacerdotibus pergunt, ubi rursus cereos accendunt. Quo facto, protinus fit liturgiæ introitus ; præpositus thuribulum tradit imperatori seniori, qui id tenens incensat ; inde pergunt ad dextram partem tribunæ, ubi caput sancti Præcursoris expositum est ; quod religiose venerati exeunt

---

1. *Palæographical Society*, tabula 82 : « Menæum written by John, a monk, in the time of Anatolius the abbot in the monastery of Stoudion, in Constantinople. » A. M., 6424 ; = A. D., 916. Cf. Batiffol, *l'Abbaye de Rossano*, 80. Ce manuscrit (Vaticanus 1669) a été « achevé le 21 mars 916. »

2. *Acta SS.*, ibid., 253 : « Anno 932, vita sancti Nicetæ hegumeni Mediciensis in Bithynia a Theoctisto scripta, a Joanne monacho archicœnobii Studitarum transcripta est, Anatolio hegumeno. »

3. *Acta SS.*, Febr., I, 559, 541. Vita S. Nicolai Studitæ scripta est anno 930 vel 940 a Studita quodam monacho, Anatolio hegumeno.

4. Paspatès, *o. l.*, 348. Constantini Porph. *de Cærimoniis*, II, 13, edit. Bonn, p. 562 ; Migne, *P. G.*, CXII, 1036.

in metatorium, exeunt scaramangia, induunt colobia, trajectaque parte feminarum, consistunt in dextra orientali plaga bematis, accenduntque ibi cereos pro excipienda S. Evangelii lectione. Dein exeunt rursus in viridarium quod ibi est, sub quo mistum celebrant, adhibitis proceribus pro lubitu delectis, monachi interea pocula et dapes ministrantibus. Post mistum finitum surgunt, et per eandem, qua venerant, viam remeant ad dromonem prædictis cum directione et cærimoniis. »

De ceteris Studitarum præpositis, pauca supersunt dicenda, cum vel ipsa eorum series vix institui possit; nonnulla tamen nomina ad nos usque pervenerunt : decimo seculo mediante Timotheus[1]; circa annum 960, Joannes, cujus opera quinque Romani imperatoris sorores tonsæ sunt atque in monasterium inclusæ[2] ; Antonius « vir vitam ducens apostolicam », qui patriarchalem sedem, anno 975, obtinuit, a qua mox sese ultro abdicavit (978)[3]. De quo hi feruntur versus iambici[4] :

'Αντώνιός τις εὐλαβὴς ὁ Στουδίτης
'Αρχιθύτης πέφηνε τῆς Βυζαντίδος.

Seculo etiam undecimo incipiente, Alexius Studitarum hegumenus, fit et ipse, anno 1025, Constantinopolitanus patriarcha[5] ; mediante autem, ei cœnobio præfectus erat Michael[6], quo hegumeno

---

1. Batiffol, *o. l.*, 80 : « Le Vaticanus 1671 copié par Dorothée, diacre, sous le gouvernement de Timothée, hégumène du monastère de Saint-Jean-le-Précurseur τῶν Στουδίου. »

2. Cedrenus, apud Migne, *P. G.*, CXXII, 77. — Lebeau, XIV, 41. — Schlumberger, *Un Empereur byzantin*, 27 : « Jean, cathigoumène ou supérieur du grand couvent de Stoudion, avait été délégué pour présider à la prise de voile des cinq princesses. Ce fut lui qui leur coupa les cheveux. »

3. *Acta SS.*, Augusti, I, 707. — Cedrenus, *ibid.*, 147. — Baronius, anno 975, n. 10. — Müller, 51.

4. Paspatès, 347.

5. Cedrenus, *ibid.*, 212. — Paspatès, *ibid.* — Müller, 51, 52. — Muralt, *l. l.*, 598 : « Eustache meurt. Basile le remplace par Alexius, cathégumène de Stoudion, qui était venu durant sa maladie le visiter avec le chef de Saint-Jean-Baptiste, en 1025, décembre. » — *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 9.

6. *Bibliothèque de l'École des chartes*, t. XLIII, année 1882, p. 671, pl. 90, III (*Codex gr.*, n. 319) : « Γραφεῖσα διὰ χειρὸς Χριστοφόρου ἐλαχίστου καὶ ἀναξίου διακόνου ἐπὶ Μιχαὴλ τοῦ εὐλαβεστάτου ἡγουμένου μονῆς τῶν Στουδίου. »

exscripta sunt anno 1048 a Christophoro quodam monacho, sancti Dionysii Areopagitæ opera; paulo post, videlicet anno 1054, Symeone juniore præposito [1], cum duodecimum imperii annum ageret Constantinus Monomachus, ipso die Nativitatis Joannis Baptistæ, Leonis IX papæ legati in Studii monasterium se contulerunt [2]. In eo enim cœnobio, quod Romanæ Ecclesiæ olim adeo addictum ostendimus, ac Romani Pontificis observantissimum, monachus quidam Nicetas Pectoratus librum conscripserat de Azymo, de Sabbato et de nuptiis sacerdotum, adversus apostolicam Sedem totiusque Latinæ Ecclesiæ consuetudinem [3]. Qui quidem, eo tempore, præsente imperatore hujusque proceribus, anathemate devovit omnia sua sive dicta, sive facta, sive tentata adversus primam et apostolicam Sedem, librumque suum, coram omnibus, flammis ipse tradidit. At legatis vix Romam redeuntibus, iterum in controversiam res judicatas adduxit [4].

Post Symeonem, proferendus est etiam Joannes « qui subscripsit se ut monachum et « καθηγούμενον » monasterii Studiensis in Alexii I Commeni, circa sententiam de adoratione Imaginum, decreto annum circiter 1084 promulgato, primumque ab episcopis inter ceteros abbates locum obtinuit [5]. » Forte etiam in hegumenorum numero ponendus est, exeunte seculo duodecimo, Dositheus quidam, Studita monachus, virtutibus ipsoque, ut videtur, prophetico spiritu clarissimus. Ex « Venetis » oriundus [6], ad patriarchalem Hierosolymitanam sedem ab Isaacio, anno 1188, fuerat evectus; sed deinde, anno 1190, cum ad Constantinopolitanam,

---

1. Müller, 54. — Hergenröther, *Hist. eccl.*, III, 439.
2. Baronius, anno 1054, n. 19, sqq.
3. Baronius, *ibid.* — Hergenröther, *ibid.* — Müller, 63-65. — Tougard, p. LI. — Migne, *P. L.*, CXLIII, p. 781. — Lebeau, XIV, 388 : « Nicétas, moine de Stude, prêta sa plume aux emportements de Cérulaire. »
4. Baronius, *ibid.* — Hergenröther, *ibid.*, 440.
5. Müller, 55.
6. Nicetas Choniates, *De Isaacio Angelo*, lib. II, 4. Edit. Bonn., p. 529 : « ἐκ βενετικῶν ἕλκειν τὸ γένος ἐλέγετο. » — Müller, *ibid.* : « Traxit autem genus ex Venetis, h. e. *Cæruleis*, quibus opposita altera factio Prasinorum i. e. *Viridium* dicebatur. » Scripsit vero, non ita recte, Tougard, *Parva Catechesis*, ibid. : « Dositheus, genere *Latinus*. » — Cf. Paspatès, 345.

invitis canonibus, esset translatus, ob repugnantem clerum, hanc non potuit retinere, utraque simul exclusus[1]. Non ita multo post, capta Urbe, Studium desolatum est.

Recuperata autem Constantinopoli, anno 1262, Michael Palæologus, teste Georgio Acropolita, auream portam ingressus atque « præeunte Mariæ Virginis imagine, primum ad monasterium Studii pervenit, hicque eandem imaginem reliquit, cum in magnum imperatoris palatium reverteretur[2]. » Tametsi a bellantibus ædes Studianæ plurimis damnis fuerunt affectæ, illius tamen cœnobii, reliquo tempore, auctoritatem constat non fuisse minutam, veterisque famæ memoriam diutissime perstitisse. Etenim, primum locum inter ceteros monasteriorum hegumenos, Studitarum hegumeno jam pridem fuisse concessum, ex diplomate anno 1381 edito compertum est : « ἐν ταῖς ἱεραῖς τε καὶ συνοδικαῖς συνελεύσεσι, πρῶτον μὲν γὰρ πάντων τὸν ἀρχιμανδρίτην τῶν Στουδίου καὶ ὁ χρόνος κατέστησε καὶ τὸ δίκαιον αὐτό[3]. »

Huic etiam cœnobio, temporum decursu, sæpius evenerat, quemadmodum et aliis permultis, ut perfugium præberet nec solum viris inter civitatis principes clarissimis, sed etiam imperatoribus, qui vel sua sponte, vel vi compulsi, Studium se receperant, illic tranquillum vitæ exitum aut saltem intactum honoratumque sepulcrum inventuri[4]. Jam ab ipsis Heraclii imperatoris temporibus, Bonus patricius anno 627 sepulturam acceperat[5] ; a Theodoro Studita monachi habitu indutus fuerat Abraimius quidam, vir in regia civitate illustris, « pius ac quærens Deum[6] ; » Leone VI Sapiente imperante, Leo musicus circa annum 890, deinde Eustathius patricius in Studiense cœnobium adducuntur, monastica pænitentia plectendi ; ibidem etiam anno 920 Gregoras magister

---

1. Müller, 56. — Tougard, *ibid.*

2. Müller, *l. l.*, 8.

3. *Acta et diplomata patriarchatus Constantinop.*, t. II, p. 21. — Cf. Paspatès, *o. l.*, 345.

4. Hergenröther, *Photius*, I, 393.

5. Lebeau, X, 129. — Sk. Byzantios, 308. — Muralt, 283. — Paspatès, 348.

6. Migne, *P. G.*, XCIX, 691.

unaque Leo patricius tonsi atque inclusi[1]; Nicephorus Xiphias a Romano III ab exsilio revocatus, sponte sua inter Studitas monachum gessit[2], in quorum collegio ab eodem imperatore, anno 1031, per triennium inclusus est Constantinus Diogenes[3]; in eandem vero solitudinem ultro, paulo post, circa 1040, recessit, ut aulicos strepitus ac tædia effugeret, præses et eunuchus Constantinus[4].

Neque semel ipsi etiam imperatores, adversa fortuna, eodem cœnobio usi sunt perfugio. Illuc, anno 1042, concitatæ multitudinis iram fugientes se receperant Michael Calaphates imperator ejusque frater nobilissimus Constantinus; plebs autem neque monachorum precibus dicto audientes neque asylum reverentes, magna vi in ipsam ecclesiam irruentes, illos ex adyto rapuerunt « διὰ τῆς ἀγορᾶς διὰ τῶν ποδῶν » atque ad locum Sigma appellatum, trucidaverunt[5]. Ibi etiam Isaacius Commenes imperator, regno se abdicans, monasticam vestem induit, ac duos circiter annos, monachis omnibus virtutis exemplum se præbuit, hegumeno autem ita perfectam præstitit obœdientiam ut et janitoris et humillima ministeria obierit. Ipse et uxor ejus Augusta Ecaterina in Studiensi illo monasterio sepulti sunt (1059)[6]. « Ornaverat uterque, et ipsa, et imperator, augustissimum Præcursoris templum iis quæ connumerare ac singulatim recensere herculeus labor esset[7]. » Anno autem 1078, Michael VII Ducas, postquam audiverat Nicephorum Botoniatem imperatorem esse renuntiatum, vili equo ad Studitanum cœnobium advectus, excisis capillis, monachorum collegio voluerat adscribi[8]. In illo quoque monasterio, digna principe sepultura donatus est unus e filiis Bajazethi I, Isas nomine, qui cum Manueli

1. Müller, 14.

2. *Ibid.* — Cedrenus, apud Migne, *P. G.*, CXXII, 220.

3. Müller, *ibid.* — Cedrenus, *ibid.*, 229. — Lebeau, XIV, 250. — Muralt, *o. l.*, 606.

4. Müller, 14.

5. Müller, 15. — *Acta SS.*, Januar., I, 610. — Cedrenus, *ibid.*, 272. — Lebeau, XIV, 313. — Muralt, 622. — Schlumberger, *les Iles...*, p. 182, sqq.

6. Lebeau, XIV, 310. — Paspatès, 348. — Cedrenus, *ibid.*, 378.

7. Cedrenus, *ibid.*, 380. — Lebeau, XIV, 430-431.

8. Müller, *ibid.* — Schlumberger, *o. l.*, 204. — Lebeau, XV, 51.

imperatori datus obses christiana fide eruditus esset, suscepto baptismo, anni 1417 peste fuerat absumptus[1].

Annis autem triginta sex posteaquam a Turcis expugnata fuit Constantinopolis, Studiense cœnobium maxima ex parte dirutum est; ecclesiam vero in Mahumetanum templum convertit Elias quidam Albanus, Bajazethi equorum gubernator, qui in ea æde tuenda sumptus plurimos collocavit. Deinde Tartarus quidam dux e Taurica Chersoneso templum illud monasteriolum effecit, cujus reditus, ut videtur, etiamnunc ejus posteri administrant[2].

---

1. Müller, *ibid.* — Lebeau, XXI, 79. — Tougard, p. li. — Sk. Byzantios, *o. l.*, 308.

2. Tougard, *ibid.* — Paspatès, 350.

CAPUT VI

DE MONASTICA STUDITARUM VITA

Condito sancti Joannis Præcursoris cœnobio, Studius patricius in eo monachos e monasterio « τῶν Ἀκοιμήτων » instituit [1]; quibus nempe nomen hoc Accœmeti sive Insomnes ideo indictum est, vel quod diu noctuque, sodalitate fratrum in tres [2] sexve [3] choros divisa laudes divinas sine ulla intermissione in ecclesia canerent [4], ita ut fieret « ἄληκτος ὑμνολογία, ἄπαυστος λειτουργία », vel etiam, ut opinor, quia, brevissimæ tantum quieti se dantes, maximam noctis partem insomnem ducebant [5].

Quibus vero regulis ac moribus jam a majoribus traditis ad virtutem religionemque monasticam informari soliti sint in Studio degentes Accœmeti, quæ etiam, si quid forte deliquerint, pœna institerit persolvenda, paucis nunc aperiendum.

Ac primo quidem Studitarum vestis quo colore fuerit, non inter omnes convenit. Hæc enim religiosorum ordinum historia : « L'ha-

1. Theophanes, 113, 4. « Μοναχοὺς ἐκ τῆς μονῆς τῶν Ἀκοιμήτων ἐν αὐτῷ κατέστησε. » — Cedrenus, edit. Bonn., 611, 17. — Baronius, anno 459. — *Acta SS.*, Januarii, I, 1019.

2. Sic Baronius, anno 459, n. 16. — Du Cange, *Gloss. med. et inf. lat.*, s. v. Accœmeti.

3. Du Cange, *Constant. Christiana*, lib. IV, 105. — Hélyot, *o. l.*, p. 240. — Fleury, VI, 54. — Müller, 12.

4. De Accœmetis, et de Sancto Alexandro Accœmetorum fundatore, *Acta SS.*, Januar., I, 1018-1020; *Acta SS.*, Febr., II, 111. — Baronius, *ibid.* — Hélyot, I, 238, 243. — Du Cange, *ibid.* — Tillemont, *Hist. des Emp.*, XII, 498. — Martigny, *Dict. des ant. chrét.*, 553. — Lichtenberger, *Encyclopédie*, I, 47. — Kraus, *Real-Encyclopädie*, I, 30.

5. Nusquam enim in Studitarum monachorum Constitutione ad perennem illam laudem alluditur. Absoluto autem nocturno officio, jam non licebat eis somnum capere. Cf. Kraus, *Kirchengeschichte*, 153 : « Schlaflose, wegen ihres strengen Wachens. » *Kirchenlexicon*, art. Acémètes. Nisi forte velis solummodo primos Studitas monachos Accœmetas fuisse.

billement des religieuses aussi bien que celui des religieux était d'une étoffe verte [1] », neque tamen aperte quibus auctoribus ea sententia inniteretur declarandum curavit Hélyot. Cui autem alienissima videntur ceterorum omnium suffragia. Etenim veteres monachos « μέλαιναν ἐσθῆτα » gerere testis est Eunapius [2]. Constat præterea in eas nigras vilesque monachorum vestes incredibili sævitia invectos fuisse sacrarum Imaginum hostes; at piissimos inter illos viros forte nullos reperias qui graviora convicia tulerint quam Studitæ [3]. Dicitur etiam, cum in eorum cœnobium detrusus est Michael Ducas imperator [4], nigro vestitu indutus fuisse : « καὶ γίνεται μελαμφόρος [5] ».

Studitanis vero Constitutionibus cautum erat ut, quemadmodum et cetera omnia, ipsæ etiam vestes communes essent : « unusque erat locus ubi singuli possent vestem, sive illam prorsus abjici, sive sarciri oporteret, deponere et novam accipere [6] ; unicuique monacho erant subuculæ — ὑποκάμισα — duæ, vestes exteriores — ἐπανωφόρια — duæ, cucullæ — κουκούλλια — etiam duæ [7], superhumerale parvum — ἐπώμιον μικρόν — ad ministeria, aliudque latius — ἐπώμιον βαθύτερον — ad ecclesiam, atque aliud etiam villosum superhumerale magnum — ἐπώμιον μαλλωτὸν μέγα [8]. Zona

---

1. Hélyot, *ibid.*, 242.
2. Cf. Du Cange, *Gloss. med. et inf. lat.*, s. v. Ordo niger.
3. Thomassin, *Anc. et nouv. discipline*, I, 793. Euprepianus Studita monachus, assueta veste deposita, vehementer a Theodoro objurgatur quod candidam assumpserit : Tougard, *la Perséc. icon.*, 27. Etiamnunc vulgo vocantur monachi : *le Clergé noir*, ceteri vero clerici : *le Clergé blanc*. Cf. *la Science catholique*, 15 fév. 1890, p. 115, sqq.
4. De quo jam supra, p. 63.
5. Constantini Manassis *Compendium*, apud Migne, *P. G.*, CXXVII, 469. De hoc nigro monachorum vestitu ejusque significationibus, consulendus J. Goar, *Euchologium Græcorum*, Parisiis, 1647, p. 494, n. 22.
6. Migne, *P. G.*, XCIX, 150.
7. De cuculla cf. Goar, *o. l.*, 518, n. 8. Cf. etiam Daremberg et Saglio, *Dict. des Ant.*, s. v. : Cucullus.
8. Constitut. Studit., Migne, *ibid*, 1719, sqq. — Cozza-Luzzi, tom. V, 111-125. Duo illa ἐπώμια, parvum scilicet et magnum, nobis non videntur differre ab iis vestibus quibus nomen in *Hist. des ord. monastiques* « le petit habit, le grand et angélique habit. » Quamvis Theodorus Studii sæpius improbasset (*P. G.*, *ibid.*, 942, 1819.....) inter se distingui duas illas vestes pariter mona-

pellicea vel funiculo lumbos sibi cingebant[1], atque in pectore supra exteriorem tunicam, ἐπανωφόριον nempe vel κολόβιον, gerebant eam duplici transverso signatam crucem quæ patriarchalis appellatur, quam quidem intuens monachus quisque lumen, salutem, castitatem, veniamque et custodiam inveniret[2]. Item unusquisque habebat « calceos breviore cothurno tum etiam longiore, et caligas[3]. » Vitio vertitur Petro monacho quod præter ceteros nudis pedibus ire solet[4]; præstat enim unumquemque, exemplo Patrum, humiliter et indui et calceari[5]. Pro lecto cuique matta cilicina est et duæ villosæ lodices[6]. Comam tondent, sed non abradunt; peccatum erit si eremitarum more capillum alant[7], nisi forte in exsilium propulsi sint: tunc enim coma intonsa decoræ venustatis[8]; barbam vero longam promittunt[9].

Verum ea omnia, nec barba longa, nec coma tonsa aut vestitus niger ac cucullus faciunt monachum. De ceteris igitur in Studiensi cœnobio vigentibus regulis nunc reliquum est ut dicamus.

Primo quidem, ab omni memoria « leges et regulæ Patrum », præcipue vero sacrorum Conciliorum canones, et magni divique Basilii Ascetica diligenter omnibus erant observanda[10]; hæc enim

---

chis reverendas, ea tamen distinctio invaluit, reperiasque apud Goar, *o. l.*, ritum parvi habitus quem etiam τὸ μάνδιον vocant (pp. 473-481), et ritum magni habitus induendi (pp. 499-514).

1. Goar, *o. l.*, 494, n. 23.

2. Vel etiam Lotharingiæ Crux. Cf. Adeline, *Lexique des termes d'art.* — Hélyot, *ibid.*, 238. Forsan non abs re erit huc proferre Theodori carmen εἰς σταυροὺς μοναστῶν (*P. G.*, *ibid.*, 1796).

Σταυρὸς βλεπόντων ἀστραπηφόρον σέλας.
Σταυρὸς μοναστῶν εὔδρομος σωτηρία.
Σταυρὸς φιλούντων ἐνθέως πορνοκτόνος.
Σταυρὸς κλαόντων ἐξαλείπτως πταισμάτων.
Σταυρὸς φιλάγνων ἀσφαλέστατος φύλαξ.

3. *P. G.*, *ibid.*, 1719.
4. *Ibid.*, 220.
5. *Ibid.*, 942.
6. *Ibid.*, 1719.
7. *Ibid.*, 994, 1271, 1438.
8. *Ibid.*, 1273 : « ἡ τῆς κόμης ἄκαρσις τῆς εὐπρεποῦς θεομορφίας. »
9. *Codex suppl. gr.*, n. 408, f. 142. — Hélyot, *ibid.*
10. Migne, *ibid.*, 942.

centiens monachis sanctus Plato, Theodori avunculus ac magister, commendat [1] ; hæc centiens et ipse magnus ille Studitarum præfectus in discipulorum memoriam revocat [2], profiteturque leges Asceticas « si plene exigantur neque dimidiata ex parte [3] » plurimum ad salutem conferre, pariterque necessarias esse ait cum ei qui imperat præposito, tum etiam iis qui obtemperant discipulis [4]. Quem quidem *Asceticorum* librum nec tantum plurimis in contionibus interpretatur « alter ille Basilius » Theodorus [5], sed etiam ejus auctoritatem vindicandam suscipit, asseritque esse genuinum Magni Basilii opus [6]. Omnium vero earum legum « traditionumque antiquitus perseverantium [7] » seriem, « Patris impulsi præceptis » nonnulli e Theodori discipulis conscripserunt [8]. Celebrem autem illam monasterii Studii constitutionem — ὑποτύπωσις τῆς καταστάσεως τῆς μονῆς τοῦ Στουδίου — cum esset « optima et regalissima, excessus pariter ac defectus vitans [9] », complura cœnobia nec solum in regia urbe [10] sed in longinquissimis etiam imperii provinciis [11] amplexa sunt, ita ut a Studitis monasticæ virtutis exemplum peteretur, ceterique monachi se totos fingerent accommodarentque ad eorum vitam et disciplinam.

Nobilissimum certe inter omnia cœnobia quibus exemplo facta est

---

1. *Ibid.* Laudatio S. Platonis, 824. — Surius, VI, 924.
2. Migne, *ibid.*, 942-1091, 1815.
3. *Ibid.*, 1815.
4. *Ibid.*, 1519.
5. *Ibid.*, 235 : « ἄλλος τις Βασίλειος. »
6. *Ibid.*, 1686.
7. *Ibid.*, 1703.
8. *Ibid.* : « ἡμεῖς σήμερον πατρικαῖς προσαχθέντες ἐντολαῖς. »
9. *Ibid.* : « ἀρίστην τε καὶ βασιλικωτάτην καὶ τὰς ὑπερβολὰς καὶ τὰς ἐλλείψεις ἐκκλίνουσαν. »
10. *Ibid.* : « καὶ οὐχ ἡμεῖς μόνοι, ἀλλὰ δὴ καὶ οἱ πλείους τῶν ἐγκρίτων μοναστῶν ταύτην αἱροῦνται. » Alexio Comnena imperante, sanctus Nicolaus patriarcha Constantinopolitanus condidit Galacrenorum monasterium, quod « a disciplina Studitana non multum recedere debuit. » Pitra, *Spicil. Solesm.*, IV, 488.
11. Diehl, *le Monast. de Saint-Nicolas-di-Casole*, p. 11 : « Quand le fondateur du monastère avait fixé le cérémonial religieux et tracé la règle monastique de Saint-Nicolas-di-Casole, il avait cherché des modèles dans les plus célèbres monastères de l'orient byzantin, à Saint-Sabas de Jérusalem, au couvent de Studion à Constantinople, etc... »

Constitutio Studitarum, in Atho monte condiderat, regnante Nicephoro Phoca, sanctus Athanasius [1]. Qui quidem cum suis monachis leges [2] conscriberet, non solum in monastica disciplina instituenda, sed etiam in officiis divinis ordinandis omnibusque fere rebus vestigia Theodori Studitæ persecutus est. Eadem in Athanasio atque in Theodori Testamento traduntur præposito monita, iisdemque propemodum vocabulis [3]; eædem etiam regulæ de rerum omnium communione, de vitandis sæcularibus, de ovili caute servando; consimilia quoque dantur ab utroque hegumeno fratribus præcepta. Notandum tamen nullam ab Athanasio fieri mentionem de catechesi ter unaquaque hebdomade, ut in Studio, habenda; melius vero intellegitur Athonitarum legislatorem jam non vetuisse equo aut mulo vehi monachos qui loca aspera et montuosa incolerent. Non prohibet Athanasius, ut de Theodoro compertum est, parvum quem vocant habitum imponi, ac deinde magnum et angelicum; rarius etiam de fugiendo fœminarum consortio injicit mentionem, quod, Theodoro quoque duce, interdictum erat ne quodvis diversorium vel quælibet domus mulieribus pateretur [4]. Constat insuper Athanasium Studitarum regulam sibi ad imitandum exemplar proposuisse, cum legem tulit, ut olim Plato in suo Saccudionis et Studii cœnobio, ne qua mulier aut fœminei sexus quodlibet jumentum in monasticum montem unquam penetraret.

Multa et alia petiit ex Hypotyposi ipsa Studitarum; etenim in Athanasii Constitutione invenire est nonnullos e Studitanis ministris, Epistemonarchas videlicet atque Epiteretes [5]; eadem modo ordinantur et jejunium et esus et potus; similique ratione commutandæ vestes et excipiendi hospites.

Huc etiam accedat, ab Athonensibus monachis præcipuo honore

---

1. Cf. Ph. Meyer, *die Haupturkunden für die Geschichte der Athosklöster*, cap. III, 15-20 : « die Bedeutung des Klosters-Studion für das griechische Mönchthum im Mittelalter. »

2. *Ibid.*, 102, sqq : « Τυπικὸν ἤτοι κανονικὸν τοῦ ὁσίου καὶ θεοφόρου πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου τοῦ ἐν τῷ Ἄθῳ. »

3. *Theodori Testamentum*, Migne, *P. G.*, XCIX, 1817. – Meyer, *ibid.*, 17.

4. Migne, *ibid.*, 1820, 17. — Meyer, *ibid.*

5. Migne, *ibid.*, 1709, 18. — Meyer, *ibid.*, 18.

ad nostra usque tempora coli Theodorum Studitarum hegumenum[1]; nec non inter utrosque cœnobitas multotiens hospitium et amicitiam institui solitum fuisse; nonnunquam etiam ad tollenda dubia vel dirimendas controversias arbitrum ab Athonitis consultum fuisse Studii cœnobii præpositum, ut constat de Euthymio cathegumeno, qui, regnante Joanne Tzimisce, ad montem sacrum missus est ut nonnullis contentionibus imponeret finem, multasque variis de rebus interrogationes absolveret[2].

Certum est insuper illam Athanasii monasticam Constitutionem quæ plurimum Studitarum legibus debebat, ab ea Laura ex ordine ceteris in monasteriis fuisse receptam[3].

Nec solum apud Athonitas permagnæ auctoritatis fuisse constat Studiensem Hypotyposin, verum etiam apud plerosque totius Orientis monachos quasi quoddam exemplar haberi, ex quo, velut ex fonte et capite, necesse esset cetera Typica fluere. Etenim celeberrimus ille Patmiaci cœnobii conditor Christodulus, multa et ipse, e Theodori Studitæ testamento desumpsit[4]; sic etiam monasterium a Leone episcopo Argorum et Naupliæ conditum, Typicon accepit Typico Studiensi accommodatum, cum in ecclesiasticæ liturgiæ instituendo ordine, tum in ipsa cibi et potus præfinienda quantitate[5]; eandem quoque ac in Studio divinorum officiorum rationem servandam curaverat in suo « Πανοικτίρμονος » cœnobio Michael Attaleiates; quin etiam arbitrio præpositi Studitarum electionem hegumeni permiserat[6]; multa item similia invenire est in Typico nuper edito sancti Demetrii « τῶν Κελλιβάρων[7] » et in altero simul prolato cœnobii « τοῦ φιλανθρώπου σωτῆρος »[8]; totius

---

1. Sic enim die Theodori festo æque ac Athanasii immunes erant jejunii. Pitra, *Spicil. Solesm.*, IV, 477, II.

2. Meyer, *ibid.*, 31; 150, 7; 162, 6.

3. *Ibid.*, 16.

4. *Ibid.*, 18.

5. *Ibid.*, 19. Cf. Miklosich et Müller, *Acta et dipl.*, III, 183, 184.

6. Meyer, *ibid.* — *Acta et dipl.*, ibid., 314.

7. Sic vestium modus ac numerus idem est atque in Studio. *Byz. Zeitschrift*, 1895, 1 Heft, 56. Cf. *supra*, 89.

8. Meyer, *Bruchstücke zweier* τυπικὰ κτητορικά : *Byzant. Zeitschrift, ibid.*, pp. 45-58.

præterea Russiæ monasteria Studitarum leges usurparunt quas ad nostram ætatem retinent. Magnus enim Theodosius, sanctissimus Kiewensis hegumenus, Theodori præcepta suos monachos docuerat, quæ deinde ceteris omnibus in regulam et consuetudinem venerunt [1]. Sic intermedio, ut ita dicam, clarissimo illo Studio cœnobio, tot monastica collegia ac præcipue Russorum atque Athonitarum ortum habuisse apparet incrementumque sumpsisse [2].

Et re quidem vera, Studitana illa Constitutione exactissime et sapientissime, rebus vel in minimis, definitum esse videtur quidquid monasticæ religioni addictum hominem, ad perfectæ sapientiæ, et sanctitatis, et scientiæ absolutionem perducere possit.

Vita quippe ascetica nihil aliud est, Theodoro teste, quam cupiditates cohibere, in ipsa vel cogitata invigilare, atque invisibilibus hostibus assidue obluctari [3], quin etiam, « martyrium in dies multos continenter sæviens, nec uno ictu consummatum subire [4] ; » haud igitur mirum si in voluntario illo carcere, inclusi tanquam rei, austeriorem vitam, orationibus totam ac jejuniis deditam degere videantur monachi, quibus jam « nullus sit in terris festus dies [5] ». Quotiens enim genu quotidie flectant, quam arcta jejunandi lege sint adstricti, quam diutinis liturgiis in ecclesia intersint, quibus denique, iisdemque quasi innumeris, subjiciantur corporum exercitationibus, vix credas. Namque, in Magna Quadragesima, genu flectunt in unaquaque hora et lychnico triciens, in completorio autem centiens atque in matutino officio octogiens [6] ; in Quadrage-

---

1. MEYER, *Haupturkunden*, 19.

2. Inter byzantinarum rerum vel scriptores vel studiosos convenit Orientalium monasteriorum Typica omnia, vel Studitarum vel sancti Sabbæ Typico, aut etiam utrique religari. At hocce nondum satis cognitum est ut judicari possit quid ex eo mutuata sint quæ vocantur Typica κτητορικά, atque etiam si quid forte huic, utpote antiquiori, Sabbæ Typico referre debeat Studii Typicon. Cf. MEYER, *Byz. Zeitschrift*, ibid., 50.

3. MIGNE, *ibid.*, 1681.

4. *Ibid.*, 1685 : « καὶ τοῦτο τὸ μαρτύριον τὸ πολυβάσανον καὶ πολυήμερον. » Iisdem fere verbis de Athonensibus hodiernis monachis scribebat THEODOR HARTEN, *Illustrirte deutsche Monatshefte*, mai 1891, p. 274.

5. MIGNE, *ibid.*, 1732.

6. *Ibid.*, 1709, n. 14.

sima vero sanctorum Apostolorum, in quavis Hora viciens, in completorio quinquagiens, et in matutino quadragiens[1]. Sæpissime etiam submittendis genibus, si quidquam contra legem deliquerint, castigantur.

Asperrimam quoque victus rationem servabant, carnibus perpetuo abstinentes, idque solum cibi ac potus adhibentes quod ad depellendam famem sitimve esset satis. A paschali enim tempore ad festum Sanctorum omnium diem, quem Græci dominica post Pentecosten prima celebrant[2], cum nullo videlicet jejunii præcepto tenentur, sexta hora duobus ferculis « olere nempe et legumine oleato » utebantur. Tunc temporis, pisce etiam, et caseo, et ovo vesci possunt, ac tria vini pocilla bibere. Ad cenam vero, si ea cena possit appellari, panem comedunt et si quid e prandio superfuerit, ac duo pocilla bibunt[3].

Bis autem in unaquaque hebdomade, totum annum, quarta nempe et sexta feria, abstinent a caseo, piscibus, atque oleo[4]; singulis vero annis, tres observandæ Quadragesimæ, quippe in honorem Patris jejunant quadraginta dies ante Christi nativitatem; in memoriam Unigeniti Filii ante Resurrectionem, diebus etiam quadraginta; tertium, in laudem vivificantis Spiritus ante festum diem Apostolorum[5]. Quæ quidem omnia jejunandi tempora etiamnunc ab ipso Græcorum populo, quamvis non ita adstricte, retinentur[6].

Quanam lege in Studiensi illo monasterio, tres illæ Quadragesimæ servatæ sint, fusius in Constitutionibus erit invenire. Hæc tantum liceat proferre : « In sancta Magna Quadragesima, semel in die vescimur, hora nona, et quidem aridis aut etiam leguminibus

1. *Ibid.*, 1708, n. 5.
2. *Ibid.*, 1714.
3. *Ibid.*, 1713, n. 29 : « κιρνὰ δὲ δύο. » Quis vero fuerit modus τοῦ κιρνοῦ non liquet.
4. *Ibid.*, 1695, n. 5. Attamen, si prædictis feriis occurrant festi dies Deiparæ, Nativitas, in templum Ingressus, Hypapante, Annuntiatio, Dormitio, vel SS. Præcursoris, vel natalis « τῶν κορυφαίων » Petri ac Pauli, licet uti piscibus et oleo, at non caseo. Cf. et *ibid.*, 1701, n. 11.
5. *Ibid.*, 1696, n. 2, 3, 4.
6. HÉLYOT, *ibid.*, 184. — HARTEN, *l. l.*, 255, 274. — *Parva Catechesis*, 639.

absque oleo; neque vino utimur excepto Sabbato et die Dominico; pisces nequaquam per hoc sanctum jejunium comedimus, excepto Sabbato et die Palmarum Dominico. Sancta magna hebdomade, jejuni omnino perstamus, si fieri potest, absque etiam oleo et vino. Jejunium pariter usque ad vesperam magno Sabbato continuamus, hoc, inquam, solo totius anni Sabbato [1]. » Eo autem tempore, vini loco bibebant, si infirmos ac senes excipias, mixtum quoddam ex pipere, cumino et aniso calido [2]; præterea, quo etiam severior esset ea jejunii ratio, quibus liceret cibis in unaquaque hujus Quadragesimæ hebdomada vesci sic fuerat præfinitum : « Prima et mediana hebdomada, eodem modo, id est, fabas coctas et salsamentum absque oleo, et caricas quinque, et si adsint castaneæ, et pira cocta, et Damascenica. Secunda et tertia et quinta et sexta hebdomade sic : pruna cocta et salsamentum in scutellis, et ferculi loco legumen cum nuce fracta; poma tamen et ficus his hebdomadis non comedimus... Sabbato autem sancto, hora undecima incipit lychnicum, quo absoluto caseum comedimus et pisces et ova, et bibimus ter [3]. » At, in Quadragesima sanctorum Apostolorum [4], et Nativitatis Domini, tribus tantummodo in hebdomade diebus jejunabant, abstinentes pisce, oleo, ovo ac caseo [5]. Pervigilium Nativitatis, ceterarumque Christi sollemnitatum jejuni peragebant [6]; ad complura etiam sollemnia varii spatii jejuniis diligentem præparationem adhibebant, nempe ad festum ceterorum Apostolorum [7], Exaltationem sanctæ Crucis [8], aliasque Christi [9]

---

1. *Ibid.*, 1700, n. 9. Cf. 1716, n. 30.

2. 1716, n. 30 : « τὸ δὲ εὔκρατον συνίσταται ἔκ τε πιπέρεως καὶ κυμίνου καὶ ἀνίσου θερμοῦ. »

3. *Ibid.*

4. Incipit Sanctorum Apostolorum Quadragesima ab octavo post Pentecosten die; varium igitur temporis spatium patet, prout evenerit Pentecostis sollemnitas. Cf. Hélyot, *o. l.*, 185. *Parva Catechesis*, ibid.

5. Migne, *ibid.*, 1696, n. 6; 1713, n. 29.

6. *Ibid.*, 1697.

7. *Ibid.*, 1697-1701.

8. *Ibid.*, 1696, n. 6. — Hélyot, *ibid.*, 185.

9. Migne, *ibid.*, 1697.

ac Deiparæ [1] ferias, ad natalem Præcursoris [2]. Quotiens autem jejunandi præcepto tenebantur, nonnisi hora nona cibum sumere, duosque solum cyathos bibere licebat [3].

Præter illa communi lege præscripta jejunandi tempora [4], poterat unusquisque in Studio monachus jejunium protrahere [5]; sed tamen admonentur sæpius pænitentiam omnium præstantissimam inesse si quis proprium sensum ac voluntatem perfecte cohibere didicerit [6]; ceterum vigilanti monacho nunquam non in somno, potu, cibo, ceterisque omnibus rebus adhibendus est modus, quippe cui semper quadragesima sit [7].

Tanta cum fuerint abstinentia Studitæ, tamen apud eos innumeras ac diuturnas Deo admovere preces, usu receptum est. Singulis etenim feriis, sub mediam noctem, die vero Dominica vel ante ipsum noctis dimidium, incipiente hora septima, excitator —

---

1. *Ibid.*, 1696-1697. *Ibid.*, 1702 : « Ast ipso die Dormitionis immaculatæ Deiparæ, si contingat feria quarta vel sexta, non utimur carne vel caseo, propter magnum tremendumque somni hujus admirandi prodigium. »

2. 1696, n. 5. In nativitate Præcursoris oleo et piscibus utuntur, si forte feria quarta vel sexta inciderit; sed (*ibid.*, 1701, n. 11) in ejus Decollatione non solvunt jejunium, « quia ipsa cædem impiam necemque menti obgerit. »

3. *Ibid.*, 1716. Sed « propter brevitatem dierum Quadragesimæ sancti Philippi semel in die comedimus sed ter bibimus. » Quod quidem quadragesimale tempus nihil aliud est atque Quadragesima ante Natalem Domini; credebatur enim Philippi apostoli mandato institutum (Migne, *ibid.*, 1715, not. 46); insuperque initium habebat istud jejunium ipso die festo sancti Philippi, nempe 14ª Novembris (Pitra, *Spicil. Solesm.*, IV, 450).

4. Paucissimis diebus jejunio immunes erant Studitæ, nempe : una solummodo quarta feria per totum annum, scilicet Mesopentecostes; die etiam τῶν θεοφανείων quilibet sit, « ad gratiam et gloriam baptizati; atque ob tantæ gratiæ exordium, mersionem quoque publicam facimus; » atque etiam hebdomade Nativitatem Domini proxime sequenti, hebdomade Sancti Spiritus, hebdomade διακαινησίμου seu renovationis, post Christi Resurrectionem; insuperque hebdomade τῆς προφωνῆς et τῆς τυροαποθέσεως, videlicet Septuagesimæ et Quinquagesimæ ut secernerentur ab impio ritu tum Armeniorum tum Jacobitarum. (Migne, *ibid.*, 1698, 1700, 1701.) — Cf. Baronius, anno 863.

5. Migne, *ibid.*, 1196. Laudatur Timotheus monachus quod jejunium protrahat; ei tamen suadetur ut quotidie post vesperas cibum sumat. — Cf. *Parva Catechesis*, 191.

6. *Parva Catechesis*, 192, 216.

7. *Ibid.*, 5.

ὁ ἀφυπνιστής — cellas per omnes cum lucerna circumiens monachos excitat ad sacram doxologiam [1]. Statimque ligno signum datur sursum ac deorsum [2]. Nocturnum vero officium quotidie duas fere horas producitur [3], atque adveniente magna quadam sollemnitate sæpius protrahitur « τὸ μεσονυκτικόν », fitque « ὁλονυκτικόν [4]. » « Singulis autem matutinis [5], egreditur e choro abbas ad quartum hymnum exordiendum. Tunc residens fratres excipit accedentes ad confessionem et unumquemque salubri medela curat [6]. » A Paschate ad hebdomadam post Pentecosten non cantantur horæ [7]; magna vero Quadragesima, cantatur Prima sed sine lectione; hora vero tertia sexta et nona fit lectio [8].

Sacram autem liturgiam facit presbyter, cum jejunium ad horam nonam productum est, hora sexta; ceteris vero diebus ab hora tertia. Postquam completa sunt divina mysteria, conveniunt omnes fratres, et cantatis typicis [9], acceptaque benedictione ad mensam pergunt [10]. Post prandium, singuli sibi vacant, prout voluerint,

---

1. Migne, *ibid.*, 1709, n. 18.

2. Tougard, p. xlvii. — De ligno, nempe τῷ ξύλῳ seu σημάντρῳ, cf. K. Krumbacher : das Weckholz : *Studien zu den Legenden der heil. Theodosios*, aus den Sitzungsberichten der k. bayer. Akad. d. Wiss. 1892, Heft II, 355-361.

3. Hélyot, *ibid.*, 183. Itaque, excitator alter fratres tacite circumiens obdormientes vigilare facit. — Migne, *ibid.*, 1709, n. 18.

4. Hélyot, *ibid.*, 182, 183. — Du Cange, *ibid.*, s. v. Matutinum officium.

5. Qui vero psalmi canendi, quæ recitandæ lectiones, iisdem Constitutionibus ordinatur. — Migne, *ibid.*, 1707, n. 9, 12, 13; 1709, n. 14, 15, 16, 17.

6. *Ibid.*, 1711, n. 21.

7. *Ibid.*, 1707, n. 7, 9.

8. *Ibid.*, 1710, n. 14.—Cf. Duchesne, *les Origines...*, p. 45, sqq. — Migne, *ibid.*, 1713, n. 27. Græce : « ἐννάτην ποιοῦμεν » latine ibidem vertitur « nonam recitamus ». Quod sic exprobrat Pitra (*Spic. Solesm.*, IV, p. 468, n. 1) : « Duplex erat jejunium, unum ad VI horam, alterum ad IX productum ; id quod fugisse videtur cl. A. Maiium cum in n. 29 (idem peccavit et in n. 27) Constitutionis Studitarum illud : ἀπὸ δὲ τῶν Ἀποστολῶν μνήμης ἕως τοῦ ἁγίου Φιλίππου, τετράδα καὶ παρασκευὴν Θ′ ποιοῦμεν, latine sic expressit : jam ab Apostolorum commemoratione usque ad sanctum Philippum nonam recitamus. » Non dubie quin melius dixisset : ab Apostolorum commemoratione usque ad sanctum Philippum in feriis IV et VI *nonam servamus prandii horam*. Idem quippe est ἐννάτην ποιεῖν atque ἐννάτην φυλάττειν. »

9. Cf. Appendicem III, de Typicis Studitarum.

10. Migne, *ibid.*, 1713, n. 27.

usque ad octavam horam, sive dormientes, sive aliquid commentantes, deinde aut laborant aut legunt usque ad vesperas[1]. Quadragesimali vero tempore, post lychnicum et prandium unusquisque sibi liber est[2]. Quod quidem vespertinum officium cantari solet, ut ipso nomine « λυχνικόν » constat, occidente sole ac surgente Vespere, quando lucernas necesse est accendi[3]. Quod ad completorium attinet[4], quotidie post cenam, ut ipsa voce « ἀποδειπνικόν » innuitur, cantari solebat singulis anni diebus, præter vigiliam Nativitatis Christi, ac festi Luminum, sanctamque feriam quintam, magnumque Sabbatum, quibus solummodo trisagion in cenaculo canebatur[5]. Ad finem vero cujusque completorii, « salutatio fit manibus ad crucis formam compositis, quod est singulorum reconciliationis indicium ob eas quæ interdiu contingunt offensas[6]. » Deinde Sacerdos vultu ad Occidentem verso, omnibus benedicit his verbis : « Εὐλογία Κυρίου ἐφ' ἡμᾶς τῇ αὐτοῦ χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ πάντοτε νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων[7]. » Et fit dimissio, atque ad suam cellam unusquisque pergit.

Diversis autem anni temporibus illius officii canendi ac proinde dormiendi tempus variare, ex hac Theodori ad monachos Catechesi liquet : « Nunc vos admonitos velim, fratres, præ dierum brevitate exundare noctes ; atque ut tabescit pervigilio corpus, sic productiore somno carnem pinguescere ; pinguedine autem carnis adulescere vitia. Quid igitur dicam ? *Unusquisque vestrum psalmum habet* (I. Cor., XIV, 26), meditationem habet ; omnia moderate

---

1. *Ibid.*, 1717, n. 33.

2. *Ibid.* — Cf. Du Cange, *Gloss. lat.*, s. v. Lucernarium. *Gloss. græc.* : s. v. λυχνικόν.

3. Martigny, *o. l.*, s. v. Office divin, vêpres, p. 539.

4. Martigny, *ibid.* Duplex vero completorium, auctore Du Cange, nempe « ἀποδειπνικὸν μέγα » quod cantatur totam Quadragesimam ; atque « ἀποδειπνικὸν μικρόν » reliquis anni temporibus ; in majore autem duodecim psalmi canendi. Sed, teste Goar (*o. l.*, 124, n. 69) quotidie post μέγα ἀποδειπνικόν, alterum quoque minus, μικρὸν ἀποδειπνικόν, fieri solitum.

5. Migne, *ibid.*, 1712, n. 20.

6. *Ibid.*, n. 19. De hac Græcorum salutatione, cf. Martigny, p. 99, sqq.

7. Goar, *o. l.*, 43. — Cf. Hélyot, *ibid.*, 184.

fiant... Neque de somno duntaxat id accipi velim, sed et de cibo, potu, ceterisque omnibus[1]. »

Singulis autem hebdomadibus, saltemque semel, confitebatur monachus quisque hegumeno acta sua et ipsa cogitata[2]. Cujus quidem piæ consuetudinis utilitatem necessitatemque sæpenumero commemorat Theodorus : « Utamur frequenti confessione, confessio frenum est ne peccemus ; si quis monachus neglexerit salutarem illam confessionem, necesse est etiam eum in omnia turpia facinora sensim delabi[3]. » Etenim « silentio pressæ cogitationes culpas pariunt ; quas si confessi fuerimus, divinam pulchritudinem acquirimus[4]. »

Sacra vero mysteria Corporis ac Sanguinis Christi quotidie percipere monachos in Studio degentes, patet e Catechesibus. « Annon purissimum Corpus ejus singulis diebus Sanguinemque percipimus[5] ? » Attamen videtur non omnes usque et ubique in divina Eucharistia sumenda satis diligentes fuisse. Hæc enim discipulis crimini vertit Theodorus : « Si dies quidem adsit Dominica, acceditis ad mysteria ; sin alio die synaxis peragitur, minime tum adestis. Atqui licebat in monasterio vel quotidie communicare, nunc rarius ac vix convenitur[6]. » Quidquid id est, saltem die liturgico — ἐν ἡμέρᾳ τῆς λειτουργίας — ad sacram Communionem unicuique accedere ipsis Constitutionibus jubetur[7]. Qui vero Eucharistiæ participes fuerunt, vel os colluant, vel eulogiam acci-

---

1. *Parva Catechesis*, 100. Ceterum varia hæc dierum noctiumque spatia sæpius ipsis Typicis notantur. Sic in *Cod. Coislin.*, n. 216 : *Typicon lauræ S. Sabæ*, f. 15 v° : « μὴν σεπτέμβριος · ἔχων ἡμέρας λ' · ἡ ἡμέρα ἔχει ὥρας ιβ', ἡ νὺξ ὥρας ιβ' ; » mense vero octobri (*ibid.*, f. 29) nox tredecim horas patet ; novembri (*ibid.*, 35) quattuordecim. In *Cod. Coislin.*, n. 215, alterum Typicon lauræ S. Sabæ continenti, hæc mense decembri : « μὴν δεκέμβριος · ἔχων ἡμέρας λα', ἡ ἡμέρα ἔχει ὥρας θ' καὶ ἡ νὺξ ὥρας ιε'. »

2. Migne, 1750, n. 2. — Thomassin, *o. l.*, I, 1540, n. VIII.

3. *Parva Catechesis*, 425.

4. Migne, 1722. — Cf. *ibid.*, 811, n. 10, laud. funeb. in sanctum Platonem.

5. *Parva Catechesis*, 210.

6. *Ibid.*, 368.

7. Migne, *ibid.*, 1754, n. 51.

piant[1] : ceteri autem, Communionis desiderio, quantum fieri potest, mundentur atque ita divini muneris compotes fiant[2].

Ter saltem quavis hebdomade, nec tantum quadragesimali tempore, immo singulis nonnunquam completoriis contionem ad fratres habet modo præpositus, modo aliquis ætate provectus et dicendi peritus[3]. In cœnobio, in exsilio, quin etiam, prope jam exanimis, scribendo, cum non poterat dicendo, ad discipulos verba rite fecerat Theodorus[4]. Quibus sermonibus discipulis in memoriam hegumenus revocabat monasticæ vitæ leges atque officia, cuique vel laudes, vel vituperationem æquabiliter, prout meruerit, dispertiens; si quid periculi corporibus aut mentibus immineret, quibus modis fugiendum edocens; variis rerum temporibus sermonem accommodans, modo lætus lætitiamque effundens felici cognito nuntio; modo tristis; modo productiore utens oratione, modo breviore; nunc ex tempore dicens, nunc autem meditatius compositam edens[5]; ante omnia autem de cujusque salute sollicitus, optimis in Studio moribus effingendis maximam operam dabat, cunctosque monachos in perpetuo fervore retinendos curabat. Tanta autem inerat iis Theodori sermonibus suavitas[6], tanta in audientes auctoritas, ut vel post illius obitum, ter singulis hedbomadis in Quadragesima ejus Catecheses recitare venerit in consuetudinem[7].

Unoquoque totius anni Sabbato, etiam a Paschate ad Pentecosten, vel cum horæ non psalluntur, tamen mortuales canones solitum est canere[8].

1. *Ibid.*, 1718, n. 37. — Cf. GOAR, *ibid.*, p. 154, n. 190, 191. — MARTIGNY, *o. l.*, s. v. Eulogie.

2. *Parva Catechesis*, 368.

3. MIGNE, *ibid.*, 1711, n. 21; 1819, n. 11. — ALLATIUS, *de Dominicis et hebdom. Græcorum*, p. 1420.

4. MIGNE, *ibid.*, 224, 264, 1841, 1844.

5. TOUGARD, *o. l.*, p. XL-XLIII. — AUVRAY, animad. *ad Parvam Catechesim*, ibid., p. LVI, LVII.

6. MIGNE, *ibid.*, 264.

7. MIGNE, *ibid.*, 1710, n. 16. — TOUGARD, *ibid.* — AUVRAY, LVII, n. 2.

8. *Ibid.*, 1707, n. 7. — GOAR, 156, n. 192. Videas etiam Appendic. III, de Typicis Studitarum.

Verum, non jejunio tantum ac divinæ liturgiæ, sed etiam omnibus virtutibus inservire monachos oportet, quibus hoc præter omnia curandum, quemadmodum Domino placeant[1]. Neque enim de uxore sunt solliciti, nec de liberis, nec de servis, nec de pecunia, nec de prædiis, nec de ulla alia re quæ homines carni deditos angit[2]; in qualibet rerum varietate, aut appetente vere[3], aut exacta hieme, aut æstivo illo tempore adeo debilitante corpora[4], alacri semper animo Domino obsequentes; prospicientes etiam ut insolita quadam agendi ratione ceterorum animos vel oculos non in se convertant; cuique igitur calceis utendum, vestiendum ut ceteri, pane ac vino atque aliis cibis vescendum, neque longius protrahendum jejunium[5]. Sic quoque vitet secessionem[6], ut semper eo loco adsit ubi ceteri fratres; maxime vero mulieres effugiat[7]; ac muliebria colloquia cum psallente, cum virgine declinet, « nulla enim tanta esse potest necessitas quæ cogat cum muliere esse[8]; » neve in muliebri cœnobio resideat[9], neque habeat servos[10] neque jumenta possideat fœminei sexus[11] : « Væ enim soli ! væ sedem non habenti ! væ mulieribus dedito ! væ servi servo[12] ! » Rixas item et dissidias[13] devitare debet, nec cum fratre contendere aut illi irasci[14], nec murmurare, sive occulte id fiat sive coram[15], hæc vel illa accusans ; sed omnia, contumelias nimirum

---

1. *Parva Catechesis,* 377.
2. Migne, 246, 939.
3. *Parva Catechesis,* 236. — Migne, 687 : « προσέχετε ἑαυτοῖς ἀπὸ τοῦ ἐνεστῶτος καιροῦ, ὅτι ἐαρινός ἐστι, καὶ τοῦ σώματος κινητικός. »
4. *Parva Catechesis,* 64 : « ἔκλυσιν ποιεῖται τοῦ σώματος ἡ ὥρα τοῦ θέρους. »
5. Migne, 219, 316, 1195.
6. *Ibid.,* 1366, 1423. — *Parva Catechesis,* 248.
7. Migne, 1366, 1422. — *Parva Catechesis,* 31, 262.
8. Migne, 1334, 1358, 1459.
9. *Ibid.,* 1366.
10. *Ibid.,* 1366, 1423.
11. *Ibid.,* 246, 826.
12. *Ibid.,* 1368 : « Οὐαὶ τῷ μόνῳ ! οὐαὶ τῷ ἀκαθίστῳ ! οὐαὶ τῷ γυναίζοντι ! οὐαὶ τῷ δουλοδούλῳ ! »
13. *Parva Catechesis,* 142, 145.
14. Migne, 1403.
15. *Parva Catechesis,* 143.

ipsaque ludibria æquo animo ferre, « ut in omnibus glorificetur Deus et gaudeat hegumenus[1], » nec « præclarum Studii nomen in contrarium convertatur[2]. »

Ut autem ea innumera præcepta non jacerent irrita, at contra constantiore atque acriore studio monachus quisque conaretur quam perfectissimam vitæ rationem componere, ipsis cœnobii Studitani Constitutionibus cautum erat ut variis delinquendi modis varia opponerentur pœnarum genera, quibus erigerentur lapsi, ac sustinerentur labantes, omnesque justa religione implerentur : monasticæ enim vitæ arctissimum officium est pænitentiam agere erratorum quibus quisque deliquerit[3].

Abstinere cibo, genua flectere, a fratribus segregari, sacra Corporis Christi communione privari, eæ sunt, ex instituto Studitarum, nonnihil peccantibus plerumque persolvendæ pœnæ.

Etenim agit jejunando, hoc est, pane solum et aqua utendo[4], pænitentiam, qui divino Officio non interfuerit, vel illud recte atque integre non audierit; qui defuerit habendæ catechesi[5]; qui ad refectionem non venerit[6]; qui nonnihil absque præpositi licentia servaverit[7]; qui die Sabbati non mutaverit vestem[8]. Par etiam danda monacho pœna vel mundanos eloquenti sermones[9], vel ob quodlibet negotium conspiranti[10], vel impositam ab hegumeno pœnam non observanti[11]; vel etiam si suum alteri tradiderit aut ipse sibi alterius vestimentum sustulerit[12]; si quid extra mensam

---

1. Migne, 1423.
2. *Ibid.*, 1403.
3. *Ibid.*, 1733.
4. *Ibid.*, 1734 : « ξηροφαγίαν ἄρτου καὶ ὕδατος. » De xerophagia apud Pitra, *o. l.*, IV, 481. — Goar, 207.
5. Migne, *ibid.* : *Pœnæ communes*, 1733, n. 3, 4, 5, 6, 7, 9, 14; *Pœnæ quotidianæ*, 1748, n. 16, 34. Quæ ἐπιτίμια etiam invenire est apud Cozza-Luzzi, t. V, 78-90.
6. *Ibid.* : *Pœn. comm.*, 12.
7. *Pœn. comm.*, 24; *Pœn. quot.*, 20.
8. *Pœn. comm.*, 29.
9. *Pœn. quot.*, 9.
10. *Ibid.*, 21, 57.
11. *Ibid.*, 22.
12. *Ibid.*, 23, 40.

aut post completorium comederit[1], ac fratrem quemvis correctum defendere præsumpserit[2]. Qui vero ad fornicandum tentatur, quadraginta diebus aridis vescatur; quod si non desinat tentatio, « aridis tamdiu vescatur donec ea quiescat, faciatque diu noctuque metanœas trecentas[3]. » Nonnunquam etiam aut abstinentia vini puniuntur, aut ad mensam eis standum sedentibus ceteris[4].

At multo etiam sæpius[5] usu recepta pænitentia, hæc genuum inflexio quam « μετάνοιαν » vocant[6]. Cum autem longum est ac præ frequentia molestum singulas dinumerare, his satis habeatur immorari quæ potissimum notandæ visæ sint.

Si quis monachus præter modum clamet, triginta metanœis puniatur[7]; si quis die Dominica ac præsertim sollemni vestem suam majorem non gerat, is faciat coram altari metanœas quinquaginta atque ita reversus veste illa induatur[8]. Qui post completorium riserit, ducentas metanœas solvet[9]; qui in mensa lætus fuerit aut riserit, surgens statim centum metanœas faciet[10]; qui vero a mensa ante alios sine ulla necessitate surrexerit, triduo vinum non bibet, insuperque faciet metanœas centum[11]. Qui dormierit discinctus — ἄζωστος — quinquaginta metanœis[12]; qui in

1. *Ibid.*, 27, 28.
2. *Ibid.*, n. 38.
3. *Ibid.*, n. 39. Præposito enim ipsa vel cogitata confiteri debet monachus. *Ibid. Pœn. quot.*, n. 2.
4. *Pœn. comm.*, 2, 4, 8, 12; *Pœn. quot.*, 18, 31, 35; 17, 36, 37.
5. *Pœn. comm.*, 11, 13, 16, 19, 20, 23, 27, 28, 33; *Pœn. quot.*, 9, 16-34, 36-40, 55-61; neque in eo numero recensentur μετάνοιαι quibus affici possunt qui variis ministeriis funguntur.
6. Goar, *o. l.*, p. 12, 13, n. 9 : « Duplici modo fit μετάνοιά : vel enim ore manibusque terræ affixis, cum genuum inflexione profundissime deorsum inclinant et procumbunt, et tunc est μετάνοια μεγάλη quæ etiam στρωτή; si minus corpus inflectant, dicitur μικρά; cum vero plures pro more persolvunt, ultimas semper minores et minores faciunt, simulque oratiunculam aliquam proferunt... Simplicioribus et illiteratis monachis hanc solam vocem : « ἐλέησόν με, Κύριε, τὸν ἁμαρτωλόν » proferre erat imperatum.
7. *Pœn. comm.*, 23.
8. *Ibid.*, 33.
9. *Pœn. quot.*, 28.
10. *Ibid.*, 29.
11. *Ibid.*, 36.
12. *Ibid.*, 58.

balneo unctionem fecerit, trecentis[1]; qui sine præpositi benedictione cubitum abierit, centum et quinquaginta punietur ac nocte integra vigilabit[2].

Aliquotiens et a fratrum societate segregantur, unum diem[3], aut triduum[4], aut hebdomadem unam[5], aut etiam duodecim[6], ac quindecim dies[7]. Erant enim intra cœnobium loci quidam separati in quibus inobedientes et contumaces includi solebant monachi, arido victu nutriti atque ita virtutem edocti[8].

Uno tantum die separatur qui, sponte sua, sacram communionem omiserit[9]; qui ultra statutam relaxationem huc illuc in monasterio obambulaverit[10]; qui, sine ulla idonea causa ex alia in aliam officinam se contulerit[11]; qui elapsis duabus hebdomadis hegumeno delicta non fuerit confessus[12]; qui in præfectum conjuraverit turbaveritque fraternitatem[13]. Triduo autem a ceteris amoventur qui aliena adeuntes monasteria aliquid nuntiant, præsertim circa epulas, sine præpositi licentia[14]; qui genus suum jactant quasi carnalibus cognatis non valedixerint[15]. Integram vero hebdomadem separatur qui quidlibet furatus fuisse compertus fuerit[16]; qui conscius fratris cujusdam e cœnobio egredientis, non prænuntiaverit[17]; qui minus servaverit ab hegumeno impositam

1. *Ibid.*, 59.
2. *Ibid.*, 60.
3. *Pœn. comm.*, 10, 17, 18, 25, 26, 30, 31, 34.
4. *Ibid.*, 32; *Pœn. quot.*, 9.
5. *Pœn. comm.*, 35; *Pœn. quot.*, 22, 24.
6. *Pœn. quot.*, 26.
7. *Ibid.*, 30.
8. *Ibid.*, 1714, n. 25.
9. *Pœn. comm.*, 10.
10. *Ibid.*, 15.
11. *Ibid.*, 16.
12. *Ibid.*, 26 : « Qui vero non confessus fuerit actus suos et cogitationes abbati per septem hebdomadæ dies, deinde ne comedat priusquam confiteatur. » — *Ibid.*, *Pœn. quot.*, 30.
13. *Pœn. comm.*, 30.
14. *Ibid.*, 32.
15. *Pœn. quot.*, 9.
16. *Pœn. comm.*, 22.
17. *Ibid.*, 35.

pœnam[1]; si quis deprehensus fuerit noctu clam cum aliquo versari, aut cubilis locum mutare, aut foris manere, sine præpositi nutu, una hebdomade separatus aridis utitur facitque metanœas septuaginta[2]. Qui autem cuivis e fratribus molestiam creaverit, ac deinde reconciliari neglexerit, atque in simultate permanserit, duas hebdomadas, aridis vescens ac quinquaginta metanœas faciens, segregatur[3].

Sacra vero Communione, qui somniat fornicationem, die illo abstinere debet, et facere quadraginta metanœas ac psalmum quinquagesimum recitare centiensque « τὸ Κύριε ἐλέησον[4] ». Quadraginta autem diebus absque communione maneat mendax, obtrectator[5]; parem etiam pœnam dabit qui mulierem quamlibet, ipsam etiam matrem, vel ipso die « τῆς Ἀναστάσεως » fuerit osculatus[6]; qui riserit in publico[7]; qui ob crapulam evomuerit[8]; qui sine cucullo ambulaverit[9]; qui præsidi suo vel alicui fratri contradixerit[10]; qui cum laicis in convivio sederit[11].

Qui autem per dies quadraginta Communionem negligenter omiserit, uno anno sit extra communionem[12]; duobus annis qui fuerit ebrius[13]. Triennali vero excommunicatione puniendus, si quis monasticam vestem abjecerit[14], aut cum moniali rem habuerit[15]; quinque autem annorum si quis « magni habitus » monachus in

---

1. *Pœn. quot.*, 22.
2. *Ibid.*, 24.
3. *Ibid.*, 30.
4. *Ibid.*, 41.
5. *Ibid.*, 42, 43, 44.
6. *Ibid.*, 11. Satis constat etiamnunc morem exstare, apud Græcos, die Resurrectionis, completa liturgia, inter se osculandi, ut primus quisque occurrit. Cf. PITRA, *Spic. Sol.*, IV, 402, ad. can. 101.
7. *Pœn. quot.*, 49.
8. *Ibid.*, 50 : « Si vero id post missam acciderit (*Pœn. quot.*, 15) extra communionem sit diebus integris sexaginta, et mille *quotidie* μετανοίας faciens. »
9. *Ibid.*, 51.
10. *Ibid.*, 52.
11. *Ibid.*, 53.
12. *Ibid.*, 62.
13. *Ibid.*, 48.
14. *Ibid.*, 12.
15. *Ibid.*, 63.

luxuriam sit lapsus[1], si quis etiam vetitis cibis usus sit[2]; annorum vero duodecim si quis e monasterio aufugerit[3]; qua quidem pœna nulla major reperitur in Epitimiis Studitarum.

Neque solum illis omnium communibus pœnis afficiebantur, si quid deliquissent monachi, sed etiam in singulos animadvertebatur qui variis in cœnobio muneribus non ita recte fungerentur. Quas quidem pænitentias, cum minime dissimiles essent atque jam enumeratæ, eo magis visum est non singulatim evolvere quod alio quoque loco mox de iis dicendum qui nonnullum in Studiensi cœnobio officium administraverint.

1. *Ibid.*, 47.
2. *Ibid.*, 46.
3. *Ibid.*, 54.

CAPUT VII

QUANAM RATIONE INTUS TEMPERATUM FUERIT CŒNOBIUM STUDITARUM

Cum Studiense monasterium tot secula variis rerum temporibus exstiterit, intellegere debemus non eandem semper intus viguisse disciplinam. Namque modo a perpaucis, modo vero a permultis monachis incolitur.

Principio quidem, haud ita multi ex Acœmetorum monasterio Studium demigrarunt[1]; deinde, Copronymo imperante, ne decem quidem[2] monachi in illo cœnobio degebant; finem vero faciente persecutione, ad Theodori tempora, vix duodecim nec plures aderant[3]. Tunc vero plus quam septingentos[4], quin etiam ad mille[5] monachos eo in loco simul congregatos fuisse narrat auctor uterque Theodori vitæ. Atqui, tantæ cœnobitarum multitudini ad perfectiorem vivendi rationem instituendæ multis opus erat moderatoribus. Quemadmodum autem Moyses ducendo ad promissam terram populo Dei, chiliarchos, centuriones, quinquagenarios ac decuriones[6] præfecerat quorum opera expeditum consequerentur exitum concurrentia negotia, ita etiam verus ille Studitarum Moyses, Theodorus, prudentissimam officiorum omnium disciplinam constituit, plurimasque effecit esse dignitates ac munera quibus et proprias regulas adscripsit.

---

1. Müller, *o. l.*, 10.
2. Migne, *ibid.*, 259.
3. *Ibid.*, 146. — Baronius, anno 798.
4. Müller, *ibid.*, 11. — Theophanes, 481, 29. — Tougard, p. xliv.
5. Migne, *ibid.*, 147, 259. — Tougard, *ibid.* — *Acta SS.*, Febr., I, 552.
6. Migne, *ibid.*, 261. — Cf. Thomas, *o. l.*, 59-67.

Primas quidem inter ceteros monachos obtinet hegumenus, qui multotiens quoque cathegumenus ac nonnunquam archimandrita vocatur, apud Latinos vero abbas [1]. Eligitur nimirum inter sapientissimos ac plerumque natu maximos hieromonachos [2]; ut autem ab antecessore suffragiis fratrum designari potest [3], sic etiam oblatum munus abnuere si ferendo tanto oneri se imparem sentiat; qui vero rudis est atque illitteratus, justum est eum a regimine amoveri [4]. Electum autem a monachis hegumenum necesse erat a patriarcha Constantinopolitano consecrari atque in officium collocari [5].

Quis vero inter ceteros Byzantii abbates fuerit locus Studitarum abbati quanquam omnino perspicuum non est, de beato tamen Theodoro compertum est illum, secundas partes vel in Episcoporum synodo, post unum patriarcham, obtinuisse [6], eique ob præclaram inter adversa constantiam Nicephorum patriarcham unam secum sedem in eodem stibadio ante ceteros omnes « sacros convivas » concessisse [7]. Seculo autem quarto decimo, ceterorum omnium in civitate Constantinopolitana hegumenorum princeps erat Studii hegumenus [8].

Sed, quoniam monasterii principatum tenet, ita et fratribus omnibus se ipsum præbeat oportet virtutis exemplar [9], « tanquam sol in multitudine spiritalium siderum medius, contubernales suos

1. In Theodori testamento (Migne, *ibid.*, 1817) inscribitur καθηγούμενος; *Acta et diplomat. monast.*, II, 317, etiam καθηγούμενος appellatur Studitarum præpositus anno 1077. *Acta patriarch. Const.*, II, 21, « ἀρχιμανδρίτης τῶν Στουδίου. »

2. Thomassin, *o. l.*, 531, 1450. — Cf. Justiniani *Novel.*, V, 9; CXXIII, 34.

3. Pitra, *Spic. Solesm.*, IV, 473.

4. *Ibid.*, 473, 479.

5. Thomassin, *ibid.*, 1450, 1535. « L'abbé des Studites à Constantinople étant mort, le patriarche Timothée vint y ordonner l'abbé. » — Cf. Goar, *ibid.*, 490, sqq. : Ordo solitus observari in hegumeni promotione. — Hergenröther, *Photius*, I, 140.

6. Migne, *ibid.*, 286.

7. *Ibid.*, 316.

8. *Acta et diplomat. patriarch. Const.*, II, 21.

9. Migne, *ibid.*, 262; 1781 : Carmen in præpositum :

Σαυτὸν τεθειχὼς εἰς καλῶν ἔργων τύπον.

illuminans et ad meliora commutans et transferens[1]. » Atque imprimis præpositi est eam servare regulam quam ab antecessoribus acceperit[2], nihilque nisi cogente necessitate in ea immutare; nec quidquam possidere ne unum quidem argenteum[3]; neque ullum servum habere, sive in proprios sive in monasterii usus, sive etiam in agros : quod quidem iis solummodo licet qui matrimonio conjuncti sunt[4]; nullum retinere fœminei sexus jumentum cum in ipso cœnobio tum etiam in agris[5]; præterea, si forte illi iter sit faciendum, neque equo neque mulo vehatur, sed exemplo Christi pedibus eundum est, at saltem non nisi in asinum licebit ascendere[6] : quod accepimus a Theodoro inter exsilia ac peregrinationes factitatum[7]. Quam rarissime exeat a monasterio; nunquam cum mulieribus epuletur, vel ineat amicitiam, vel colloquatur; nulli mulieri aditum cœnobii permittat[8]; neve in cella habeat adulescentem discipulum[9], sed ministeria obeant varii fratres ac minime suspecti. Humiliter etiam, ceterorum more, vestiatur calceaturque hegumenus[10]. Aurum vero ne recondat in monasterio; quidquid autem abundaverit, id, adaperto ostio pauperibus largiatur; ceterum autem, corpoream omnem curam in œconomum ceterosque administros transferat, ita tamen ut cunctarum rerum potestatem ipse habeat. Maxime rebus in omnibus curare debet, ut sive ad mentem sive ad corpus pertineant, nihil ex proprio sensu agat, sed Deum prudentiam roget, sententiamque a nonnullis præsertim grandævis requirat. Denique cum præcipua pastoralis officii pars ea sit ut recte subditis imperet, in eo totis viribus incumbere debet ut « monachorum utilitati nunquam anteponat

---

1. *Ibid.*, 265.
2. *Ibid.*, 1817.
3. *Ibid.*, 939, 1817.
4. *Ibid.*, *ibid.* : « τοῦτο γὰρ μόνοις τοῖς ἐν τῷ βίῳ συγκεχώρηται ὡς ὁ γάμος. »
5. *Ibid.*, 939, 1816, 1819.
6. Migne, *ibid.*, 1819.
7. *Ibid.*, 210.
8. *Ibid.*, 1820.
9. *Ibid.*, 1821.
10. *Ibid.*, 262, 942, 1821.

personam cujusque alterius hominis eminentis ac potentis secundum seculum[1]. »

Ea quidem præscripta si recte adimpleverit abbas, ipsam certe legis litteram exsolverit, atque saltem extrinsecus, pulchre discipulis providerit. Oportet autem illum, optimi pastoris more, universos ac singulos pari caritate amplecti[2], omnibus diligenter ac perpetuo invigilare, infirmos sanare, reducere errantes, hortari, admonere, atque « alia quæcumque videre est in virga pastoritia[3], » tot demum ingenii exhibere dotes quot regendos habeat monachos[4] ; ita tamen ut licet « externa specie dominus et magister, seipsum animo servum præbeat fratribus[5]. »

Ac profecto, perfectam illam antistitis imaginem mira sua præfectura expressit, præter ceteros, Theodorus ille Studii præpositus. Namque, teste anonymo vitæ illius auctore, « erat admirandus Theodorus sermone jucundus, jucundior moribus, societate jucundissimus, animi habitu honestus, serenus, misericors, lenis, iræ expers, humilis, et si quid aliud est quod in perfecto et secundum Deum homine laudari aut suspici debeat[6]. » Omnibus enim in rebus, vel etiam minimi momenti, communi omnium regulæ se subjicit ; singulis hebdomadis, vestem suam, primam quamque a « βεστιαρίῳ » recipiebat, « æque ac aliorum detritam vel etiam pejorem[7] ; » ceteros etiam in nocturnis ac diurnis Dei laudibus antecedens, post ceteros quoque ultimus recedebat ; neque unquam desidentem videres, sed aut libros describentem aut propriis manibus laborantem[8].

Postquam autem constantiore disciplina ac præstantioribus vir-

---

1. *Ibid.*, 939; 1821.
2. *Ibid.*, 1820.
3. In promovendi hegumeni ritibus (GOAR, *ibid.*, 491) dicitur præpositus ὁ ποιμήν, monachi vero ἡ ποίμνη seu τὸ ποιμνίον, daturque hegumeno pastoritius baculus « quo fulcitus ovile suum regat. »
4. *Ibid.*, 1828 ; sic de Theodoro hegumeno prædicabat Naucratius : « ὁ μυριόνους τῇ θεοσκόπῳ κυβερνήσει. »
5. *Ibid.*, 939.
6. *Ibid.*, 225.
7. *Ibid.*, 261.
8. *Ibid.*, 126, 261.

tutibus, omnimodam in discipulos auctoritatem sibi vindicaverit præpositus, tunc forsan et licebit de auctoritate illa paululum remittere : tunc fiet cœnobium quasi familia quædam cui vel minima quæ sibi acciderint aut contigerint, simpliciter fidenterque patefaciet. Itaque, haud a sua dignitate alienum esse censet, quam ob causam a monasterio abfuerit, si narraverit monachis[1]. Scit enim, sive sit hilaris, sive subtristis, omnes pariter affici, « tanquam fratris, tanquam patris amantes[2] » ; de sua valetudine sæpius ingenue commemorat : « ægrotavi ac precibus vestris rursus convalui[3] » ; cum aliquando vulnere pedibus laboraret, inde petit argumentum lepidæ contionis de variis istis vulneribus quibus humana mens, ex aspectu ipso, vel auditu, vel diabolicis cogitationibus totiens inficitur[4]. Ægrotante etiam ejus matre « quæ pro totius fere cœnobii indumentis operabatur[5] », rogat Theodorus monachos ut suis eam precibus sublevent[6], vita vero functam funebri laudatione celebrat[7], ita tamen ut nonnulla illius vitia commemoret imprimisque indolem nimis ad irascendum ac verberandum proclivem[8].

Verum, plerumque ad eas præcipue assequendas virtutes adhortatur quibus iter monachis aperiatur ad æternam gloriam ; obœdientiam nempe ad mortem usque[9] ; paupertatemque, quippe quibus « thesauri vice crux una sit », ac verus Christi discipulus « ne acum quidem » debeat possidere[10] ; castitatem, custodiendam ut pupillam oculi, « ne contingat nobis quod piscibus, qui carunculæ inescatione hamum glutientes se in mortem induunt ; hamus

---

1. *Parva Catechesis,* 80.
2. *Ibid.,* 282.
3. *Ibid.,* 113.
4. *Ibid.,* 281.
5. Migne, *ibid.,* 898.
6. *Ibid.,* 925, 883, sqq.
7. *Ibid.,* 883.
8. *Ibid.,* 887, 899.
9. *Parva Catechesis :* 325 ; cf. et 48, 77, 98, 104, 118, 125, 128, 145, 216, 325.
10. *Ibid.,* 297, 416. — Migne, *ibid.,* 940, 1351, 1555.

enim voluptas est quæ perdat, non quæ oblectet; quæ mortem, non quæ vitam afferat[1]. »

Quod si ita perfecte omnes sui muneris partes exsecutus est Studitarum hegumenus, ut jure ac merito ceteris præpositis virtutis exemplum proponeretur, tamen humiliter fatetur se solummodo vestigiis majorum inhærendo, quiquid e suo officio esset fuisse adeptum : « Intuentes, ait, in eos, qui sunt ejusdem ordinis nobiscum, quod e nostra re erit comparemus. Quamobrem ego indignus intuebor in eos qui digne Deo pastorum cura sunt perfuncti[2]. »

Sic et imitetur œconomus fideliter ac prudenter munere functos œconomos[3]. Maximum quidem in Studio œconomi munus[4], ac perdifficile tot monachis ea dispensare quibus egeat corpus[5]; cibum, potum, vestimenta, cum præsertim tot itus fiant ac reditus, tot conveniant et fratres, et patres, et amici, et hospites, et pauperes[6]. Ideo, solus inter monachos habere plus quam tres nummos potest, aut decem, aut etiam decies mille, cum omnia possidens nihil ipse possideat[7]. Non sibi enim sed Deo œconomus est[8]. Studeat itaque is cui obtigit munus protomartyris beati Stephani[9], quam religiosissime officium gerere; præcipue autem alacri obœdientia ceteris omnibus præstet; « ad primos vocatus adsit, quippe dicere : paulisper exspecta, venio, præsertim in œconomo, non caret culpa et reprehensione[10]. » Erga omnes sollicitum se præbeat,

1. *Parva Catechesis*, 229.
2. *Ibid*, 151.
3. *Ibid*. Videre est apud Goar, *o. l.*, 489 : ordo fieri solitus in promotione œconomi monasterii. — Cf. Thomas, *o. l.*, 60.
4. Secundum in cœnobio locum obtinebat œconomus. — Migne, 227, 262, 1559, 1781. — *Parva Catechesis*, 151, 160, 174, 326.
5. *Parva Catechis*, 161.
6. *Ibid.*, 175.
7. Migne, 1559.
8. *Parva Catechesis*, 175.
9. Migne, 1781, carmen VII : Εἰς τὸν οἰκονόμον.

Ἔργον Στεφάνου τοῦ στέφους τῶν μαρτύρων
Λαχών, κ. τ. λ.

10. *Parva Catechesis*, 151.

omnia benevole ac fraterne impertiatur, « nihil ex personarum acceptione, nihil ex favore faciens[1] » :

Οὐ γὰρ σχέσει τόν, τὸν δὲ μίσει καὶ φθόνῳ,
Πάντων δ' ὁμοίως προσβλέπων τὸ συμφέρον[2].

Cui etiam maxima cura enitendum ut semper « concordem habeat vicarium, vicarius cellarium obsequentem, cellarius obsonatorem adjutantem[3]. »

Quæ quidem omnia egregie præstitit, Theodoro hegumeno, œconomus Naucratius, cujus opera, vel in exsilio, « nulla necessaria defuere, sed et supra abundantiam cumulata fuit sufficientia[4]. » Quanquam enim aliquando vinum defecerat, pluresque sæpius ablati erant quam allati nummi[5], attamen frumentum, et vinum, et oleum, spe majora, præsto fuerunt per quadriennium[6].

At potissimum in ceteris ministeriis instituendis tanta fuit Studitarum præpositi Theodori diligentia atque industria ut appareat nihil eum fefellisse, immo vix quidquam melius administrari potuisse. Etenim, ne illa in eodem cœnobio degentium multitudo detrimentum aliquod afferret rei monasticæ, rectæ scilicet disciplinæ, silentio, pietati, laborive omnibus exigendo, effecit honoribus ministeriisve inter plurimos dispertitis, ut ad complurium dignitatem interesset tempore, modo, ordine singula perfici. Hac mente, sicut hegumeno adjutor aderat vicarius[7], sic etiam œconomo « ὁ παροικονόμος », « prioris œconomi virtutis æmulus[8] » ; cujus quidem munus erat ut diligenter inspiceret in omnes qui in cœnobio ministrarent, haberetque curam hospitum ac fratrum atque infirmorum, et unicuique ministrorum distribueret quæ fraternitati necessaria essent[9].

1. *Ibid.*, 161.
2. Carmen VII, *ibid.*
3. *Parva Catechesis*, 175.
4. *Ibid.*, 286.
5. *Ibid.*, 337 : « ἔξοδοι ἐπιγίγνονται καὶ εἴσοδοι οὐ προσγίγνονται. »
6. *Ibid.*, 286.
7. *Ibid.*, 1781, carmen VI. — Cf. *Vita*, 147, 262.
8. *Ibid.*, 147, 262. — *Parva Catechesis*, 160, 175.
9. *Acta et diplomat. monast.*, II, 414, ιθ'.

Deinde, ex ordine, rectæ monachorum disciplinæ invigilant « ἐπιστημονάρχαι[1] », quorum præcipuæ eæ partes videntur esse ut a delinquentibus, leniter sed viriliter, pœnas exigant ; « ἐπιτηρηταί[2] » seu observatores quibus munus est ut « cunctos acriter, interdiu, noctuque » speculentur, « ne quando juvenes uspiam sint duo », ne quid usquam contra regulam fiat.

Divinis autem cantandis laudibus præest « ὁ κανονάρχης », monachus nempe quidam ex lectorum ordine electus ; cujus officium est utrique choro verba et modum canendi suggerere, horarumque signum ligno dare, gerere curam liturgicorum librorum, fratresque si quid lecturi vel cantaturi sint præmonere[3]. Quod equidem munus sæpius a monachis expetitum esse queritur Theodorus, cum in exsilio huc illuc divinos canones canerent, aut festis quibusdam diebus a piis religiosisque viris ad psalmodiam vocarentur. « Noctem, ait, ducitis in verborum contentionibus primisque consessibus. Ego chorum moderabor et non tu, inquit. Atque hæc in ecclesia ; atque hæc audientibus illis qui invitarunt[4] ! »

Rectum vero extrinsecus ordinem in monasterio retinendum curat « ὁ ταξιάρχης, » fratribus nuntians quo tempore, gressu, veste, eundum sit aut redeundum ; indicemque — τὸ ματρίκιον — tenens ut sciat uniuscujusque statum totiusque sodalitatis numerum ; singulis convenientem in choro locum tribuens ; defunctos protodiacono significans qui eos in diptychis ponat ; sacris divinæ liturgiæ instrumentis, altari, mensæque sanctæ pie consulens[5].

Præficitur « ὁ κελλαρίτης » monachorum omnium cibariis cuique dispertiens congrue et vinum et acetum et oleum et legumina[6] : opus profecto præ ceteris laboris plenissimum. Custos enim cellæ in qua esus et potus reconduntur, videat ne quidquam effundatur

1. Migne, 147, 261, 691, 1781 : carmen VII. — Hergenröther, *Photius*, I, 394. — Thomas, 59.
2. Migne, 1784, carmen IX. — Thomas, 60.
3. Migne, *ibid.*, 1403, 1746, 1784 : carmen X. — Cf. Goar, *o. l.*, 29, 30. — Thomas, 60.
4. Migne, 1403. — *Parva Catechesis*, 151.
5. Migne, 147, 1747, 1787 : carmen IV. — Thomas, 61.
6. Migne, 1738 ; *Pœn. comm.*, 41-46 ; carmen XII, 1784. — *Parva Catechesis*, 151, 160, 161. — Cf. *Acta et dipl. monast.*, ibid., 415.

aut corrumpatur, ne vas aliquod frangatur detectumve relinquatur. Ipsi etiam cavendum ne clam comedat, aut ceteris quidquam occulte edendum vel bibendum largiatur : quod quidem aliquando factum fuisse queritur acerbe Theodorus. « Non licet, ait, clam comedere, neque proprios lapsus celare. Audio enim, venia mihi dicenti sit, audio mendacio quoque fieri. Cur? propter unum vini cyathum. Etenim aliquis abit ad cellarium, acceptoque quod petiverat, pergit ad triclinarium dicens non accepisse. Deinde ad valetudinarium quoque accedens pariter accipit[1]. » Cellarii etiam opera præparantur quinque panes, et frumentum, et vinum, et oleum quibus post vesperas Sacerdos benedicat. Illius autem frumenti, vini atque olei pars quædam in acervos aut doliola refunditur, ut cetera tali benedictione crescant atque augeantur. Panem vero illum, si cum fide sumatur, diversis malis præstare remedium pie creditur, eoque, præsertim si jejunii dies fuerit, se plurimum roborandos monachi confidunt[2].

Neque vero illis tantum ministeriis Studitæ fungebantur, sed aliis quoque, iisdemque quasi innumeris, quorum ope cœnobium, licet amplissimum, omnia propemodum ad victum cultumque necessaria sibi posset comparare. Namque præter mensæ structorem[3], excitatores[4], agrorum curatorem[5], hospitum exceptorem[6], administrum[7], janitorem[8], lucernarium[9], coquum[10], atriensem[11], quorum officia in Theodori carminibus recensita sunt vel Epitimiis

---

1. Cozza-Luzzi, t. IX, p. 91.

2. Goar, *ibid.*, 43, 47, n. 8. De cellarii eligendi instituendique modo, cf. *Acta et diplom. monast.*, II, 415.

3. Ἀριστητάριος, Migne, *ibid.*, 1784 : carmen XIII ; qui etiam dicitur τραπεζοποιός, *Parva Catechesis*, 160.

4. Ἀφυπνισταί, *ibid.*, 1785 : carmen XVI. — Cf. *Acta et dipl. monast.*, II, 421.

5. Νοσοκόμος, Migne, *ibid.*, carmen XVII ; *Pœn. comm.*, ibid., 1742, n. 67-70.

6. Ξενοδόχος, *ibid.*, 1744, n. 82-84. — *Parva Catechesis*, 151.

7. Διάκονος, Migne, *ibid.*, 1745, n. 93-95.

8. Πυλωρός vel ὀστιαριός, *ibid.*, 1789 : carmen XXVI ; *Pœn. comm.*, 1741, n. 63-66.

9. Κανδηλάριος, *ibid.*, 1741, n. 71-75.

10. Ὀψοποιός, *ibid.*, 1785, carmen XIV ; 1737, n. 41-46. — *Parva Cat.*, 160.

11. Κοσμητής, Migne, *ibid.*, 1745, n. 98.

expressa; aderant rei vestiariæ præfecti sartores et vestiarii, quibus in tanto cœnobio « cura certe plurima et studium et labor, suere, novare, colluere, detergere [1], » singula sine ullo delectu mutatoria hebdomadaria distribuere ; cuique rei diligenter ac provide invigilant, ne vel acus vel forfex frangatur, concidatur subtemen, vestis scindatur, lacerum quamvis panniculum neglegatur, detrita sarciantur aut invertantur aut pediculis emundentur. Sutores [2], ut olim Paulus apostolus, calceos veteres sectis decenter pellibus innovabant, novosque compingebant.

Hortulanus [3], idoneo tempore, olea serebat, justa mensura adaquabat, hortumque sibi commissum pulchre, « ὡς παράδεισον Κυρίου, » ita excolebat ut omne genus olerum affatim fraternitati suppeditaret. Vinitoris [4] erat « vitem Domini » magna cura colere, amputare, purgare, fodire, foveis excavare, omnique ratione fecundare. Faber vero lignarius [5] in ligneo quovis opere occupatus, necesse habebat tum lignari, tum materiari, attendens ne quid præter datam mensuram concidatur, nec quidquam detrimenti cuivis instrumento ac ferramento, asciæ, terebello, serræ, securi afferatur. Aratori [6] munus ad aratrum boves ducere, prudenter et accurate rustica instrumenta servans, neque unquam inconditum verbum proferens, jugumve ira impellente percutiens. Jumentarius [7] autem debitam jumentorum curam debet gerere, potum præbendo pastumque, fricando, poliendo, mundando, aut destringendo, aut subjiciendo stramine, cavens ne diutius illa in pistrino aut via agitet, virga nimium contudat, vel onera plus æquo imponat. Repereris etiam textores [8] qui « servata et fimbriæ densitate, et fili æqualitate, et

---

1. Ῥαφεῖς καὶ βεστιάριοι, 1739, n. 61-62; 1785, carmen XV :

> Φροντὶς δὲ πολλή, καὶ μέριμνα, καὶ κόπος
> Ῥάπτειν, νεουργεῖν, ἐκκαθαίρειν, καὶ πλύνειν,
> Νέμειν ἑκάστῳ τό προσαρμόζον λόγῳ.

2. Σκυτεῖς, *ibid.*, 1788, carmen XIX ; 1739, n. 50-52.
3. Κηπωρός, *ibid.*, 1744, n. 76-78.
4. Ἀμπελουργός, *ibid.*, n. 79.
5. Τέκτων, *ibid.*, n. 87-90.
6. Ἀροτριῶν, *ibid.*, n. 80-81.
7. Κτηνίτης, 1745, n. 91-92.
8. Ὕφαντος, 1748, n. 108-110.

manus puritate » decenter in singulorum usum tunicas atque omne vestimenti genus texerent; pistorem[1] qui curator esset toti collegio conficiendi panis.

Singulis vero in Studio degentibus, alternis vicibus, ligna portanda, colendus hortus, ligone utendum, jumentorumque auferenda stercora[2], aut allia purganda[3]: dum autem iis operibus manus impendebant, ore hymnos vel psalmos davidicos concinebant[4].

Neque solum, apud Studitas monachos, textores, sartores, sutores, tabernaculorum vel stragulorum factores reperiebantur, sed etiam « minutorum operum artifices, architecti, canistrorum et delicatarum rerum opifices, item qui igne ac ferro vasa utensilia operantur atque omnium propemodum artium plebeiarum exercitia[5]. »

Quotiens horas non canebant, mane ter signum ligno dabatur et pergebat unusquisque ad suam officinam, operabaturque usque ad prandium; diebus vero quibus psallebantur horæ, absoluta prima, ad laborem faciendum accedebant usque ad horam sextam; magnæ autem Quadragesimæ tempore, usque ad nonam horam laboratur[6], sed in singulis officinis recitatur integrum psalterium. Post Resurrectionem vero feriantur officinæ, nec rursum operantur nisi incipiente tertia die secundæ hebdomadis[7]. Cujuslibet autem generis opificibus, præerat sollertior quidam monachus, sutoribus protosutor, sartoribus protosartor, vestiariis protovestiarius, sic etiam et protohortulanus, et protopiscator[8].

Neque solum intra ipsum Studiense cœnobium, labori erant addicti monachi; sed etiam omnia illa operandi genera, cum nonnulli

---

1. Μάγκιψ, 1744, n. 85-86.
2. Migne, *ibid.*, 242 : Laudatur Theodorus qui, dormientibus fratribus, nocturno vel meridiano tempore, jumentorum stercora exportaverit.
3. *Parva Catechesis*, 324.
4. Migne, 167. — *Parva Catechesis*, ibid.
5. Migne, *ibid.*, 274. — Hergenröther, *Photius*, I, 394. — Thomas, 63.
6. Migne, 1718, n. 33.
7. *Ibid.*, 1706, n. 3.
8. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 238. *Ibid.*, 297, refertur nomen protosutor's Theodosii Studitæ.

ad complura loca profecti essent « sive id necessitas exigeret, sive persecutione dissiparentur[1], » et in recentioribus quæ condiderunt monasteriis, prout rerum opportunitate liceret, instituenda curaverunt[2]. Quo factum est, ut Studitæ, sibi ipsi res ad vitam necessarias comparantes, minime in publicum prodire cogerentur : quod utique vix fieri solet sine ullo monasticæ religionis detrimento[3]. Plurimis enim cum Studius patricius prædiis Studiense monasterium donavisset[4], amplissimum nempe hortum illum ad mare usque a cœnobio patentem, atque alia permulta, pro certo videtur habendum tot possessionum reditus frequentissimo quamvis monachorum conventui abunde suffecisse. Forte etiam, quandoquidem nonnulli « manuum opera admirabiles[5] » evenerant, contigit ut nonnihil lucri ex opificiis reportaretur, ac redundaret monasticum ærarium.

Quibus quidem rebus intellegitur, quanta cura labori manuum se dederint Studitæ, quanto quoque apud eos in honore industria fuerit. Re autem vera, iis etiam in rebus, ceteris exemplum se præbuerat Theodorus, cui vel « labor sanitatem præbere[6] » videretur.

---

1. MIGNE, 169.

2. BURY, *A history of the later roman empire*, 1889, t. II, p. 524 : « When Theodore in later years was appointed abbot of the monastery of Studio, he introduced the pratice of mechanical work among the brethren; every one learned a trade ; some were builders, some weavers, some bronzeschmitds, some ropemakers, others shoemakers. Many new houses, organised on a similar system, were founded throughout the Empire by Studite monks. »

3. MIGNE, 167. — Cf. 1789, carmen XXVII : εἰς ἀπερχόμενον ἀδελφὸν εἰς διακονίαν :

> Πρὶν ἐκπορεύσῃ τὴν πύλην ταύτην, τέκος,
> Σφραγῖδα προσθεὶς εἰς ἅπαν μέλους τόπον..
> Κάτω νενευκὼς ἐξωθούμενος βλάβας....
> Τὰς ἀστικώδεις ἐξωθούμενος βλάβας....
> Στραφεὶς δὲ τάχει τῆς μονῆς εἴσω μένε,
> Μὴ ὥσπερ ἰχθὺς ἄλλος ἔξωθεν θάνῃς.

Non ita pridem a G. SCHLUMBERGER editum est sigillum diaconiæ Studii cœnobii, *Byzant. Zeitschrift*, 1893, II Heft, p. 189.

4. *Supra*, p. 11.

5. MIGNE, 167 : « τοῖς ἐργοχείροις τοὺς θαυμασίους. »

6. MIGNE, 1842 : in encyclica Naucratii de Theodoro epistula : « πόνος ὑγείαν χαρίζεται. »

Namque, infirma etsi valetudine fuerat, nunquam tamen aut manibus aut calamo, ne in ultimo quidem morbi conflictu, ullum operandi finem fecit. Neque igitur mirum quod totiens ad laborem discipulos hortatus sit. « Tempus opificii? inquiebat, sedulo operemur ; tempus scholæ ? disciplinam obeamus [1]. »

---

1. *Parva Catechesis,* 216 : « Καιρὸς ἐργασίας ; ἐργασώμεθα συντόνως. » Cf. *ibid.,* 409 : « Καιρὸς ἐργασίας ; ἴωμεν ἐπὶ τὴν ἐργασίαν. Καιρὸς σχολῆς ; ἴωμεν ἐπὶ τὸ μάθημα. »

CAPUT VIII

IN STUDIANO CŒNOBIO LITTERARUM STUDIA

At de hominum memoria multo etiam melius meriti sunt Studitæ monachi ob ingenuum illud studium quod ad litteras contulerunt. Optimarum enim artium tractationem, jam a majoribus, Acœmeti monachi summo honore prosequebantur; namque, Marcellus ille qui primus eam religionem instituit, traditur sua pulcherrime scribendi scientia victum sibi comparasse [1]. Vehementer etiam laudatur sanctissimus ille Saccudionis præfectus ac Studii inclusus, Plato, quod optimam scribendi rationem noverit. « Unde vero, exclamat Theodorus [2], nostris monasteriis illa librorum copia ? numquid ab illius sanctis manibus et laboribus ? Quæ enim manus elegantius quam illius dextera litterarum formabat tractus ? aut quis scribebat studiosius ? » A Naucratio quoque extollitur Theodori mira in scribendo calliditas et « χεὶρ ὡραιογράφος [3] ». Quo ex labore plurimam ipsum capere delectationem, ipsius verbis compertum est : « Manuale scribendi opus mihi deest, quæ me occupatio valde solatur et animæ prodest. Propterea cura mihi abhinc manualia quantumvis elegantis scripturæ pensa [4]. » Qui quidem hegumenus plurimam dederat operam ut artificum recte scribendi scholam institueret, calligraphosque [5] arctissima disciplina administrari voluerat : gravissimis namque pœnis vel levissima menda admittentes afficiebantur. Si præter usum gluten faceret calligra-

1. Surius, VI, 1021 : Vita S. Marcelli archimandritæ, 29 décemb.
2. *Ibid.*, 922. — Migne, *ibid.*, 819, in laud. funeb. S. Platonis.
3. Migne, 1829.
4. Cozza-Luzzi, VIII, p. 50.
5. Nonnulla de Byzantinis calligraphis egregie disseruit Lecoy de la Marche, *l'Art d'écrire et les Calligraphes* (*Rev. des quest. hist.*, 1er juillet 1884, 167-210); *les Manuscrits et la Miniature*, 55-57, 281-293.

phus, pœnam dabat octoginta metanœas ; si quaternionem aut librum unde exscriberet, mundum non servaret, neque opportuno tempore utrumque cooperiret, neque haberet curam antistichorum, et accentuum, et interpunctionum, centum et triginta metanœæ illi erant persolvendæ [1]. Si quid in alicujus pluteo fuisset repertum, aut ex bibliis, aut ex lexicis, aut quidquam epistulare ad fratrem præter id quod didicisset ex metricis versiculis, aut ex cathismate, uno die fratribus separari jubebatur [2]. Triduo autem, si ex memoria præsumpsisset exscribere librum quem descripturus esset ; aridis vero puniebatur si plus legeret quam in exscribendo libro esset scriptum. Quod si calamum ira fregerit, triginta genuum inflexiones faciet ; si alter alterius quaternionem, absque scribentis consensu, sibi vindicaverit, quinquaginta metanœis punietur ; si protocalligrapho non obtemperaverit, biduo separabitur ; primus vero calligraphus qui non ex æquo pensa distribuenda curaverit, qui non bene paraverit membranas et omnia ad tegendos libros necessaria, ita ut nihil fiat inutile earum rerum quæ ad tantum ministerium pertinent, pœnas dabit centum et quinquaginta metanœas ac separationem [3]. At, rursum, Quadragesimali tempore, cum ceteræ officinæ integrum psalterium recitare inter laborandum necesse haberent, oneris illius immunes erant, ipsis Studii cœnobii constitutionibus, monachi calligraphi [4].

Itaque magnam illam librorum copiam, qua jam a Theodori temporibus nobilitatum est Studitarum « scriptorium », deinceps etiam auxerunt nonnulli in ea pulchre scribendi arte sollertissimi ; Clemens grammaticus, qui Theodoro ab epistolis fuerat [5], Nicolaus hegumenus, cujus manus tam velox erat ad scribendum quam Azael angelus ad currendum [6] ; Joannes, qui exquisitissimi operis Menæum ac sancti Nicetæ vitam transcripsit [7] ; Dorotheus [8],

---

1. Migne, *ibid.*, 1740, n. 53-60.
2. *Ibid.*, 1734, n. 34.
3. *Ibid.*, 1740.
4. *Ibid.*, 1717, n. 33.
5. *Supra*, p. 58.
6. Migne, *P. G.*, CV, p. 875 : in vita S. Nicolai Studitarum hegumeni.
7. *Supra*, p. 54. — Cf. Batiffol, *o. l.*, 80.
8. *Supra*, p. 59, not. 2 et 3.

Christophorus[1], uterque diaconus, quorum scripta ad nos usque devenerunt : aliique plurimi, in exscribendis plerumque S. Patris Theodori Catechesibus tempus impendentes, quorum quidem nomina ignota atque opera huc illuc dispersa sunt[2].

Hæc vero apud Studitas calligraphos decimo seculo usu recepta erat ratio scribendi, auctore P. Batiffol[3] : « Le texte est écrit à pleines pages, avec des marges étendues et sur des lignes espacées, 26 à la page ; la réglure est bien menée, le parchemin irréprochablement poli ; l'écriture espacée, souple, légèrement inclinée à gauche ; l'encre est blonde ; pas d'initiales proprement dites, pas même en tête des chapitres, mais après la ponctuation forte, le scribe pousse d'une longueur la première lettre dans la marge, c'est tout, et cette première lettre est une minuscule exactement semblable aux autres lettres du texte courant ; les titres sont de petite onciale, de même encre que le texte courant ; pour marquer les fins de chapitre, un simple trait ondé de la même encre que le texte ; en frontispice aucun ornement d'aucune sorte. C'est le style sévère. »

Neque solum lepidis scribendi litteris arte edocebantur in Studio degentes monachi. Usus enim erat Theodorus patre admodum studioso litterarum, qui filium vix septennem liberalibus artibus erudiendum curaverat[4]. Fuerat autem in puero, præter docilitatem ingenii, tantus labor tantumque discendi studium ut grammaticæ, et poeticæ, et philosophiæ, et rhetoricæ disciplinam ludis ac spectaculis anteposuerit. Hic autem Studitarum factus hegumenus, prout ipse amabat litteras, discipulos omnibus doctrinis, e quibus

1. *Ibid.*

2. Mea quidem sententia, fidem non excedit nonnulla saltem ex innumeris scriba incognito codicibus, quibus continentur S. Theodori Studitæ opera ac præsertim Catecheses, in bibliothecis Parisiensi (Auvray, *Parva Catechesis*, lxi, sqq.), Vaticana (*Parva Catech.*, ibid.), Athonensi, Lipsiensi, Marciana, Rossanensi (Batiffol, *ibid.*, 64, 143, 150), Patmiaca (Diehl, *Byz. Zeitschrift*, 1892, III Heft, p. 499, 500, 521), Sinaitica (Kondakoff, *o. l.*, II, 181), aliisque multis, descripta fuisse in Studitano illo scriptorio. — Cf. etiam G. Deschamps, *la Grèce d'aujourd'hui*, 230.

3. *O. l.*, 80.

4. Migne, *P. G.*, XCIX, 117, 237.

tantus fructus, tantumque ornamentum affertur religioni monachorum, fieri voluit quam excultissimos [1].

Etenim, quotidie, absoluto nocturno officio, studiis vacabat unusquisque monachus. Quotiens etiam manuum labori non operam dabant, in bibliothecam singuli conveniebant, sumentesque librum ad vesperam usque legebant ; paulo autem ante lychnicum, signum dante librorum custode, cuncti venientes secundum scriptam schedam libros reddere debebant. Si quis vero librum reddere cunctatus fuerat, huic pœna persolvenda [2] ; qui sine honesta causa non reddiderat, stabat mensæ tempore. Qui autem librum quem acceperat nitidum non servaverit, qui alium tetigerit, qui alium petiverit murmurans præter illum quem jam acceperit, prorsus illo die nullum impetrabit. Librorum vero custodi servanda xerophagia, si debitam librorum curam non præ se tulerit, in excutiendis singulis, aut transponendis, aut pulvere purgandis [3].

Præterea « grammaticæ apud eos accurata doctrina tradebatur qua recte scribendi forma studentibus imprimitur et legendi usus ingeritur. Insuper philosophiæ artificium et paternorum dogmatum memoriter recitatio : quibus adjumentis ad cujusvis hæreseos nugas evertendas acumen disserendi acquirebant, veracibus syllogismis utendo et conclusionibus [4] ». Omni etiam ope atque opera Studitarum ille princeps Theodorus fuerat enixus ut potissimum in eloquentiæ studium discipuli incumberent, quibus reservatum esset catholicorum dogmatum veritatem tueri. Quid enim prodesset mira scientiæ copia, nisi etiam faciles et expediti essent ad dicendum ? « Oportet, aiebat, ut dicendi facultatem usumque obtineat qui rectam doctrinam defendit et certare vult cum male sentientibus [5]. » Vere igitur de Studitarum illo cœnobio idem dici potest quod et de ipso Theodoro : « Il était destiné à défendre la vérité par la science [6], » quippe cui, præter cetera monasteria,

---

1. *Ibid.*, 238.
2. *Ibid.*, 1744, n. 26.
3. *Ibid.*, 1740, n. 47, 49.
4. *Ibid.*, 274.
5. *Ibid.*, 1084 : « δεῖ γὰρ τῆς ἐν λόγῳ δυνάμεως καὶ πείρας μετέχειν τὸ ὀρθοδοξίας ἀντεχόμενον καὶ ἀντιφέρεσθαι τοῖς κακοδόξοις βουλόμενον. »
6. Van den Gheyn, *Étud. relig.*, *l. l.*, p. 424.

hæc liceat eruditi cujusdam vindicare : « Les couvents étaient le refuge des lettres et des arts, une oasis sainte et pure [1] » atque etiam illud byzantinarum rerum peritissimi viri : « Des couvents comme celui de Studium étaient des jardins où toutes les sciences, grammaire, philosophie, théologie, étaient cultivées, des pépinières de savants distingués [2]. »

Etenim, longum est dinumerare opera illa prope innumera [3] quibus, ante ceteros, Theodorus hegumenus perennem sibi famam peperit [4] : tot nempe sermones catecheticos [5], tot epistulas ac funebres laudationes, tot iambicis versiculis carmina [6], tot præsertim sacros canones [7]. Quin etiam, ipsius opera, Studii cœnobium quasi fons quidam et principium erat ecclesiasticæ poeseos [8]. Intellexerat enim Theodorus, exemplo melodi illius Joannis Damas-

---

1. LICHTENBERGER, *o. l.*, s. v. : *Moines*, p. 268.

2. RAMBAUD, *o. l.*, p. 58. — Cf. HERGENRÖTHER, *Photius*, I, 324. — SALZENBERG, *ibid.* : « Es war berühmt wegen der gelehrten Männer welche daraus hervorgingen. »

3. MABILLON, *Études monastiques*, I, 245. « Qui pourrait conter les travaux de ce grand archimandrite ? »

4. Recensentur ea Theodori opera in Appendice II.

5. Animadvertit E. AUVRAY, *Parva Catechesis*, CVI, R², nonnunquam Theodori nomine prolatas esse orationes catecheses a proximis ejus successoribus conscriptas.

6. MIGNE, 1779-1811. Ibidem leguntur centum viginti tria carmina, de variis argumentis, nempe in monachos quovis ministerio fungentes, in sanctas Imagines, in Crucem, in Deiparam, in Sanctos, etc... Pleraque novem aut duodecim versibus constant, nonnulla quattuor, perpauca decem, quatuordecim, aut etiam duobus. Liceat hoc tetrastichum in S. Præcursorem referre (*ibid.*, 1797) :

Εἰκὼν ὑπάρχω τοῦ σεβαστοῦ Προδρόμου.
Καὶ τοὺς πόθῳ με προσκυνοῦντας ἀξίως,
Ὡς εἰς ἐκεῖνον τὴν τιμὴν ποιουμένους,
Σώους φύλαττε αἱρετιζόντων πλάνης.

7. *Codex suppl. gr.*, n. 413, f. 353. « Ὕμνους εἰς θεὸν συγγραψάμενος. » — MIGNE, 154, 263, 1811 : carmen CXXIV in Theodorum :

Δῶρον ἀειζωοίου θεοῦ, μεγάλοιο ἄνακτος,
Ἱμερόεν περίπυστον, ἐπ' εὐλαβέη βιότοιο, κ. τ. λ.

8. KRUMBACHER, *o. l.*, 322. « Das eigentliche Mittelpunkt der Kirchenpoesie wurde seit dem Anfang des 9en Jahrhunderts das Kloster Stoudion. »

ceni[1] adeo iconomachis metuendi, ad rectam doctrinam evulgandam simulque ab hæresi muniendam plurimum conferre poesin quandam et certo syllabarum numero similique accentuum positione distinctam. Egregie autem de ea re, ab eruditissimo viro Pitra scripta hæc paulo fusius liceat proferre[2] : « Jusqu'au moment où ce corps d'hymnes a été constitué, vers le neuvième siècle, l'hérésie toujours renaissante et s'attaquant systématiquement à tous les points du Symbole, avait été le danger suprême et toujours imminent de l'Église grecque. Plus d'une fois, le monde oriental faillit s'étonner d'être ou arien, ou nestorien, ou jacobite, ou iconoclaste. Plus d'une fois aussi la liturgie fut opposée comme une digue à cette invasion obstinée de l'erreur. Elle ne se dressa dans sa hauteur et sa puissance qu'après avoir été comme refaite en entier, précisément par les plus héroïques défenseurs de la foi contre la dernière grande hérésie byzantine, celle des iconoclastes. »

Etenim, poesis illa recentior solummodo ita definitis, electisque ac compositis vocabulis utebatur, ut integritatis et sinceritatis illius primus quisque et custos et sponsor esset, nec quidquam aut addi aut detrahi aut quavis ratione depravari posset, inscio vel inter fideles indoctissimo. Namque et modus musicus, et ipse cantus, et ordo verborum atque acrostichis cujusque memoria retinentur, insuperque syllabarum numerus et accentus, certus perstat et immutabilis. Quibus rebus factum est ut pars quæque catholicæ doctrinæ, et totus fidei symbolus, et disciplina Patrum quasi defigerentur immobili quadam stropha vel cantico aut canone cui ne iota quidem immutari posset.

« En fait, pergit Pitra, il est à remarquer qu'à partir du moment où l'hymnographie achève de se coordonner, les grandes hérésies grecques ont fini, ou ont cessé d'être populaires. Le schisme, il est vrai, a pu se consommer en cherchant à s'étayer sur des erreurs graves. Mais en dépit du fanatisme des patriarches et des chefs de l'empire, il y a toujours eu dans les hymnes les plus vul-

---

1. Cf. *ibid.*, 320, 321.

2. Pitra, *Hymnographie de l'Église grecque*, 26. — Cf. Cabrol, *Histoire du cardinal Pitra*, 266.

gaires d'éclatants témoignages qui confondent le schisme sur tous les points de la séparation[1]. »

Ut autem recentiori illi melodorum scholæ præcipuus dux et magister fuit Constantinopolitanus patriarcha Methodius[2], ita, cum vivo, tum etiam vita functo Theodoro, Studiensi cœnobio usi sunt monachi poetæ potissima sede ac domicilio[3]. De quo quidem sic etiam Pitra[4] : « Là purent se rencontrer en même temps Joseph de Thessalonique, frère de Théodore, les deux frères Théophane et Théodore, dont le visage fut sillonné par le fer des Iconoclastes[5], Georges de Nicomédie, Métrophane et Théodore de Smyrne, les Studites Antoine, Arsène, Basile, Clément, Cyprien, Germain, Gabriel, Siméon, Nicolas, le diacre Ignatius[6], le patrice Christophe et d'illustres laïcs, qui partageaient volontiers ces travaux. Il y eut même une part cédée à de pieuses abbesses, Cassia et Théodosia, dont le grand abbé de Studium fait une honorable mention. Nous remplirions des pages de ces noms, surtout si, dépassant un peu le IXe siècle, nous y ajoutions les contemporains de Léon le Sage, de Constantin Porphyrogénète et des premiers Comnènes[7]. »

---

1. PITRA, *ibid.*

2. *Ibid.*, 55. — BOUVY, *Études préparatoires*, 264. Hæc de sancti Methodii concivi ac præcone sanctæ Luciæ Syracusanæ : « Jeune et élégant patricien, élevé avec une splendeur mondaine, la curiosité l'entraîne dans la capitale de l'empire d'Orient. Converti par un solitaire, il devient un confesseur de la foi et monte sur ce trône patriarcal de Constantinople, si glorieux et si sanglant. Les lèvres mutilées par le fer des iconoclastes, il reste assez de voix au martyr pour dicter des hymnes, et les bandelettes blanches qui soutiennent ses mâchoires brisées deviennent pour ses successeurs les insignes et la parure de leur pontificat. »

3. PITRA, *ibid.* — KRUMBACHER, 322. — D. CABROL, *o. l.*, 270.

4. PITRA, *ibid.*

5. De eorum scriptis, cf. CEILLIER, XVIII, 700-703. Vita apud SURIUM, VI, 991-998, ad diem 26 Decembris. — NILLES, *Kalendarium...*, I, 300, 369.

6. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 131.

7. PITRA, 66. Ibidem editum est Cassiæ στίχηρον in festivitate SS. Apostolorum Petri et Pauli (LXVI). Videre est, *Acta SS.*, Junii, II, in Nicolai Rayæi dissertatione prævia de Acoluthia officii canonici Græcorum (p. XVII, sqq.), novem et viginti hymnographorum Græcorum coronam ex fronte Triodii Venetiis anno 1601 excusi ; in cujus summa pingitur Christus, in ima vero Κασία, hujusque ad sinistram Στουδίτης, magnus, ut videtur, noster Theodorus. Illam etiam effigiem habet MARTIGNY, *o. l.*, s. v. Hymnes. — Cf. KRUMBACHER, *ibid.*, 322.

Ipsius autem Theodori temporibus, quattuor et viginti melodi Studitæ nomen suum viginti quattuor litteris abditum habebant[1]. Nominatim etiam proferendi Nicetas Stethates seu Pectoratus[2], Theodorus Santabarenus de quibus jam antea dictum est; Petrus et Theophanes, et Theodorus junior[3]; forte etiam in Studitarum numero ponendi et Euthymius[4] hymnographus et Theoctistus[5] et Timocles[6], et forsan etiam Byzas quidam seu Byzantius[7] cujus nonnulla recentius edita sunt. De quibus autem melodis cum perpauca perspecta habeamus[8], singularis tamen facienda mentio videtur de tribus illis Studiensis cœnobii hymnographis, inter ceteros celeberrimis, quorum novissime nonnulla opera in lucem sunt prolata, de Theodoro videlicet hegumeno, Josephoque Thessalonicensi, ac Clemente[9].

Sæpius jam Theodori commemoravimus ferax ingenium, et magnam illam rerum varietatem quas soluta modo oratione, modo autem versibus complectitur mira ejus in dicendo vel scribendo facultas : quod etiam et alias fusius declarabitur[10]. Nunc enim veterum Græciæ poetarum æmulatus laudem, ac Theologi illius Nazianzeni vestigiis, ut ita dicam, ingressus Theodorus, et ipse antiquæ illius poeseos dignitatem renovare tentat, permultisque

---

1. Krumbacher, *o. l.*, 337.
2. Pitra, *o. l.*, CLII : Index Melodorum. — *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 200.
3. *Ibid.* — Martinov, *Annus græco-slavicus*, 275.
4. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 89.
5. *Ibid.*, f. 265.
6. Pitra, *ibid.*
7. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 35. — Pitra, *ibid.*, 77-80. Cujus quidem troparion et idiomelon videre est, *ibid.*, XX et LXV.
8. Bouvy, *Poètes et Mélodes*, 338. « La multiplicité des mélodes de même nom n'est pas un petit embarras, même quand l'acrostiche est complet. Le cantique porte la signature d'un Jean, d'un George, d'un Théodore. Hélas! il y a dix Théodore, treize George et seize Jean pour le moins, tous mélodes. Aimez-vous l'acrostiche idéal de Jean de Damas ; il vous faudrait encore préciser entre l'oncle et le neveu. Rencontreriez-vous le nom très explicite de Théodore Studite, est-ce le grand Théodore ou Théodore le jeune ? »
9. Cf. Stevenson, *Hymnographie de l'Église grecque* (*Rev. des quest. hist.*, 1er oct. 1876, 487-543). — Bouvy, *les Origines de la Poésie chrétienne*, dans les *Lettres chrétiennes*, IV, 188.
10. Cf. *Les Moines de Constantinople*, liv. V, chap. 5 : *les Hymnographes.*

neque ita parvi faciendis carminibus iambicis de omnimodis argumentis, ostendit quam multæ usque adhuc essent, tunc temporis, inter monachos litteræ. Nunc autem, e celeberrimo Andrea illo Cretensi sibi sumens exemplum, recentius aggressus est scribendi carmina genus, canonesque plurimos composuit, qui quidem totius Orientis celebrati laudibus, magnam etiamnunc retinent in Ecclesia græca venerationem, una cum Joannis Damasceni et Cosmæ monachi e tot Byzantinis carminibus usu receptissimi.

Nec tantum scribendis canonibus poeticam virtutem aperuit Studitarum præpositus Theodorus, verum etiam celeberrimi omnesque superantis æmulos Romani melodi more multa et ipse « κοντάκια » condidit, e quibus non ita pridem decem et octo id genus carmina reperta ac prorsus ignota in lucem cl. Pitra edidit; at quoniam de his copiosius alio loco disputavimus, jam non est cur diutina explanatione immoremur [1].

Theodori frater, Josephus Thessalonicensium archiepiscopus [2] multos et ipse canones composuit, in Dominicam Samaritanæ [3], in Dominicam Cæci nati, in vigiliam Ascensionis, in Ascensionem Domini [4]. Clemens autem inter celeberrimos et uberrimos hymnographos recensetur. Ipse enim, ut videtur, concinnavit illud recentius editum officium sanctorum martyrum Acindyni, Pegasii, Anempodisti, Aphthonii et Elpidiphori [5], ex menæo manuscripto celeberrimi monasterii Cryptoferratensis exarato seculo XII. Amplectitur autem officium illud non minus quam centum ac quinque varii moduli hymnos. Composuerat etiam Clemens in miram illam Abercii lapidem carmen, quod non ita pridem in lucem prolatum est [6], ac forte canonem in Theodosium cœnobiarcham [7].

1. Cf. *Les Moines de Constantinople*, ibid.

2. *Acta SS.*, Julii, III, 710. — STEVENSON, *ibid.*, 487-498. — PITRA, *Hymnographie*, p. 58. — Cf. *Byz. Zeitschrift*, IV Heft, 1893, p. 631.

3. BOUVY, *Études prépar.*, le Pentecostarion des Grecs, p. 238.

4. *Ibid.*, 239. — PITRA, *Anal. Sacr.*, I, XLIII, 381, sqq. — STEVENSON, *ibid.*, 498.

5. *Acta SS.*, Novemb., I, p. 505, 457, n. 48 : « Clementem puto Studiten hymnographum. » De sancto Clemente cf. etiam MARTINOV, *Annus græco-slav.*, p. 117, *Acta SS.*, Octobris, XI; *ibid.*, Aprilis, III, 787.

6. BOUVY, *Études préparatoires*, 262. — Cf. NILLES, *Kalendarium*, I, 305.

7. BOUVY, *ibid.*, *S. Théodose le Cénobiarque*, p. 51 : « Le style et les ex-

Quæ quidem carmina, quorum nonnulla etiamnunc græcæ Ecclesiæ in usu sunt[1], in consuetudinem venit divini officii loco canere, neque solum apud Studitas monachos, sed etiam plerisque in ecclesiis : ritui vero huic et psallendi, et legendi, nomen fuit Typicon Studitarum[2]. Ac re quidem vera plurimum juvabat canones illos audire, in quibus « on retrouve cette foi ardente, ces images pleines d'éclat et de lumière, ce style profondément original, hardi et vigoureux[3]. » Nec monachis tantum, sed ipsi Constantinopolitano populo, ita concinnæ orationis cupido, pergratum erat « goûter le charme de ce rythme rapide et pétillant, de ces rimes entrelacées, ravissantes de mélodie, de ces coupures souples, aisées, qui font toujours image[4]. » Simulque in audientium animis, fides erigebatur, aut firmior alacriorque fiebat ; ut autem precibus illis arte et cura concinnatis adorantium corda necesse erat delectari ac commoveri, sic etiam meditati cujusque carminis certis atque immutabilibus verbis mentes illustrari rectaque doctrina edoceri[5].

Nonnunquam etiam Studitæ monachi tempus et operam impendebant ad sanctorum monachorum vitam scribendam. Etenim, præter S. Platonis tot laudibus celebrati vitam, Theodorus etiam, ut dicitur, Theophanis monachi rés gestas discipulis imi-

---

pressions mêmes de ce cantique, d'ailleurs incomplet, révèlent un mélode de Studium, dit le cardinal Pitra; peut-être avons-nous là un cantique du grand Théodore. Mais le ς qui commence le dernier tropaire et qui termine sans doute l'acrostiche familier aux humbles Studites : τοῦ πτωχο[ῦ...]ς, n'annonce-t-il pas plutôt un autre nom, par exemple celui de Clément : τοῦ πτωχο[ῦ Κλήμεντο]ς, ce même poète qui a si souvent ajouté aux canons antérieurs, des *Theotokia*, c'est-à-dire des strophes à la Vierge ? » Cf. etiam de canone illo, K. Krumbacher, *Studien zu den Legenden des H. Theodosios*, 325, 333.

1. Bouvy, *les Origines de la poésie chrét.* dans *les Lettres chrétiennes*, ibid., 188 : « Les cantiques qui sont aujourd'hui en usage dans l'Église grecque sont ceux de Cosmas, de Jean Damascène et de Théodore Studite. » — Cf. Pitra, *ibid.*, 33.

2. Videas appendicem III : de Typicis Studitarum.

3. Stevenson, *l. l.*, 487, 499.

4. *Ibid.*, 486. — Cf. D. Cabrol, *o. l.*, 270, 271.

5. Animadvertit Bouvy, *Poètes et mélodes*, p. 363, in nonnullis quoque S. Theodori Studitæ orationibus reperiri numerosam illam dicendi rationem, præsertim in acclamationibus de Dormitione Deiparæ. — Cf. Migne., *ibid.*, 725.

tandas exhibuit[1]; de obitu autem ac virtutibus ipsius Theodori encyclicam plurimis verbis epistulam Naucratius conscripsit[2]; Michael vero Studita egregiam sancti illius Studitarum hegumeni reliquit historiam hoc libro sæpius commemoratam[3]; postea sancti Nicolai Studitæ vitam Studita monachus alius, de cujus nomine non convenit, litteris mandavit[4]; editis etiam libris conspicuus Theodorus alius, unus e præcipuis Photii sectatoribus, cognomento Santabarenus, cui nonnulli eruditi viri *Orationem in tertiam Capitis Joannis Baptistæ inventionem* tribuerunt, atque insuper celebrem illum *Canonem in sanctas Imagines,* qui prima Dominica Quadragesima dicta Orthodoxiæ refertur in Triodio[5]. Anatolius quoque hegumenus multis additionibus librum illum, cui *Menæa* nomen, adaugendum curavit[6]; famosus etiam Basilius Latinelenchtes nonnullis adversus Latinorum ritus conscriptis[7]; Alexius, plurimos de dogmaticis rebus libros composuit, nempe de *Nuptiis,* de *Septimo consanguinitatis gradu, Anathematismi* in eos qui contra imperatores conspirant, *Monumentum synodale* de diversis causis ecclesiasticis; quem in patriarchalem Constantinopolitanam sedem fuisse evectum superius traditum est[8]. Nicetas Stethates, de quo jam supra, multa et ipse scripta reliquit; cujus exstant *Ascetica capita* seu tractatus theologicus per interrogationem et responsionem, *tres Epistularum centuriæ,* centuriæ etiam tres capitum *praticorum, physicorum* et *gnosticorum*[9], *Orationes invectivæ* contra Armeniorum hæresim, *Fragmenta ad Romanos* de azymis, jejunio sabbati et nuptiis sacerdo-

1. Bury, *l. l.,* II, 510 : « The Life of Theophanes was written by Theodore ob Studion, the Life of Nicephorus by Ignatius the Patriarch. These lives have been recently published by M. de Boor in his editions of Theophanes and Nicephorus. »

2. Migne, *P. G.,* XCIX, pp. 1825-1849.

3. Migne, *ibid.,* 233-328. — Cf. Thomas, *o. l.,* 23-35. De altera S. Theodori vita cf. etiam Thomas, *ibid.,* 22. — Migne, 112-232.

4. *Acta SS.,* Februarii, I, 539; Migne, *P. G.,* CV, 863, 925.

5. *Acta SS.,* Junii, IV, 731. — Müller, 50. — Tougard, xlix.

6. Müller, 51. — Tougard, l.

7. Müller, 62. — Tougard, *ibid.*

8. Müller, 53. — Tougard, *ibid.* — Paspatès, 347. — *Supra,* p. 60.

9. *Codex suppl. gr.,* n. 28, f. 203.

tum[1], necnon *Introductio* ad hymnos Symeonis sancti Mamantis[2]. Subdiaconus quidem Studita Damascenus Thessalonicensis, *Thesaurum* multis constantem contionibus edidit[3]; Philippus vero *Historiam græcam* quæ magno in honore fuit[4]. Antonius Tripsychus, ob liberatam a Persarum, Scytharum et Agarenorum obsidione Constantinopolim *B. Mariæ Virginis laudes* celebravit utpote quæ patriam liberavisset[5]; de *Azymis* librum confecit Tnicitas ; juniori etiam Theodoro cuidam nonnunquam adscribitur de *Sancto Joanne Baptista oratio,* atque etiam *Epinicius canon in sanctas Imagines*[6].

Nec solummodo ipsi monachi in litteris elaborare solebant, sed etiam in inclytum illud ac præclarum virtutis gymnasium[7] conveniebant pueri ut ad virtutem atque ad ingenuas artes instituerentur. Theodori enim temporibus, « agebant seorsim sub magno illo hegumeno, in domo quadam monasterio vicina, jugi conturbernio pueri[8]. » Huc se contulerat, cum vix decimum annum ageret, ex Creta insula Nicolaus, litteris edocendus una cum ejusdem ætatis pueris ; ibique « ingenue admodum ac studiose disciplinas prævias, quibus ad majora aditus præstruatur, didicerat ; jamque deinceps pingendi scientiam, qua recte scribatur, comparare oportebat ; hanc nihilominus abunde adjecit, utilissimus effectus scriba, velox naturæ celeritate, qua maxime plures comparatum habent, rem

1. Müller, 63 ; Tougard, *ibid.* — Illius opera ap. Migne, *P. G.*, CXX, 1012, sqq. Cujus etiam apud Migne, *P. G.*, XCIX, 1711, nonnulla referuntur de illa Græcorum cærimonia cui nomen ἀσπασμός. — Cf. *supra,* p. 61.

2. *Codex suppl. gr.*, n. 103, f. 1-14.

3. Müller, 65. — Tougard, *ibid.* — Allatius, *de Dominicis Græcorum,* 1410. — Legrand, *Bibliographie hellénique,* tome II, p. 12 : Description raisonnée du *Trésor* de Damascène le Studite, édité en 1570, à Venise, sous ce titre : Βίβλιον ὀνομαζόμενον θήσαυρος, ὅπερ συνεγράψατο ὁ ἐν μοναχοῖς Δαμασκηνὸς ὁ ὑποδιάκονος καὶ στουδίτης, ὁ Θεσσαλονικεύς. De hac et de altera *Thesauri* editione, cf. Ph. Meyer, *Byz. Zeitschrift,* 1893, II Heft, 358-359. — Cf. Krumbacher, *Byz. Litter.*, 456.

4. Müller, 65. — Tougard, *ibid.* — *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 230.

5. Müller, *ibid.*

6. Müller, *ibid.*, — Tougard, li.

7. Paspatès, 345 : « περιφανὲς καὶ περίδοξον τῆς ἀρετῆς παιδευτήριον. »

8. *Acta SS.*, Februar., I, 541.

ejusmodi cum laude præstare[1]. » Qui quidem adulescentuli, sæpius, ut fert natura, turbulenti, tædium creabant nonnullis præsertim morosis ac senescentibus monachis, puerorum ludos ac clamores ægre ferentibus. Quos sic acerbe Theodorus alloquitur : « Audio nonnullos stulte dicere cum vident pueros et adulescentulos : horum causa nos perituri sumus, hi sunt monasterii eversores. Proh petulantiam ! Hi nihil aliud quam Deum reprehendunt dicentem : « Sinite parvulos venire ad me, istorum est enim regnum cælorum. » Hæc dictitant homines præposito suo prudentiores et sapientiores, qui dextera via dexteriores currunt, qui se Deumque plus quam oportet amare delitigant, qui denique regulam excedunt[2]. »

Intra autem cujusvis cœnobii claustra, pueros educari jam ab ipsa quarta œcumenica Synodo fuerat vetitum. « Absurdum est enim quæ in monasterio aguntur evulgari, sicut Evangelium dicit : Nolite tuba canere ante vos cum bene facitis[3]. » Quod quidem etiam reperitur prohibitum incipiente tertio decimo seculo, æque ac carnes edere[4]. Revera dicas tantam ab Orientalibus quibusdam monachis haberi curam in amovendis pueris, quantam omni tempore, ad eos alliciendos consueverunt Occidentales adhibere diligentiam.

Quod si autem quis ex illis pueris voluerit monasticam vitam amplecti, ejus arbitrio tunc solummodo ea res permittenda cum plane rationis compos fuerit, videlicet « ab anno ætatis decimo sexto et ultra[5]. » Qui autem intra dictum annum monasticam vitam non elegerint, secernantur et ad communem vitam remittantur « ne sacræ vitæ infamiam inurant[6]. » Sic enim de Nicolao compertum est, postquam in Studitarum illo gymnasio didicerat

---

1. *Ibid.*, 540.
2. Cozza-Luzzi, *o. l.*, 150.
3. Pitra, *Juris ecclesiastici Græcorum historia et monumenta*, tom. I. Romæ, 1864, p. 536; *Spicil. Solesm.*, IV, 392, 465.
4. *Acta et diplom. monast. Orientis*, II, 421 : « ἀλλ' οὐδὲ κρέας ταύτης ἐντὸς βρωθήσεται πώποτε, ἀλλ' οὐδὲ παῖδας λαϊκοὺς εἰς μάθησιν τῶν ἱερῶν γραμμάτων χρὴ δέχεσθαι. »
5. Migne, *ibid.*, 1526.
6. *Ibid.*

artes quibus ætas puerilis informari debet, fecisse stipendia atque ad bellum fuisse profectum; in quo cum plurimis et animæ et corpori imminentibus periculis esset perfunctus, rursus Studium petiit ibique monasticam vestem induit[1].

Quamvis de ea Studitarum schola perpauca noverimus, conjicere tamen licet discipulis compluribus eam fuisse frequentem, cum eodem omnia convenerint quibus, nostris saltem moribus, commendari soleant adulescentium ludi. Ibi enim cum litterarum studia vigebant, tum optime ad virtutem mores excolebantur, atque etiam, propter ipsius loci naturam, quod quidem non est minimi faciendum, aere aperto utebantur spatiisque patentibus. Planeque ob illam Studiani gymnasii opportunitatem, ambo Manuelis Comneni filii, Isaacius et Joannes, curante Basilio imperatore, illuc instituendi commissi sunt[2]. Et sane, Bryennium legenti nonne videtur recentiorum scholarum epigrammata percurrere tot onerata promissis? Hæc enim: « Sedem illis ac domicilium collocarunt in Studio cœnobio, duas nempe ob causas, primo quidem ut optimorum virorum imitatione ad virtutem informarentur, deinde etiam ut facile possent ex urbe exire seque in venando et in re militari exercere[3]. »

---

1. *Acta SS.*, Februar., I, 545, sqq.

2. G. Hamartolos, Migne, *P. G.*, CX, 1235. — Lebeau, XIV, 428-431. — Paspatès, 345. n. 3. — Principum vero illorum prior, imperio se abdicans, in Studitarum cœnobio, monastica veste indutus, supremum diem obiit; alter autem oblatum imperium constanter recusavit.

3. Niceph. Bryenn., edit. Bonn., lib. I, n. 1, p. 18.

CAPUT IX

EPILOGUS

Perspicuum est igitur monasterium illud a Studio consule, seculo jam quinto conditum, inter præcipua Constantinopolis urbis monasteria, temporum progressu, primum locum consecutum fuisse; quem quidem jure ac merito obtinuerat mira omnium rerum temperatione, prudentibusque iis legibus, quæ, non solum universis monachis verum etiam singulis vel minima decernerent aut agenda, aut fugienda; insuperque et arctissima illa animadvertendi ratione in eos qui a recto virtutis itinere quidquam deflexerint, necnon et mira in exercendis artibus diligentia atque industria, præcipue vero suo optimarum litterarum studio, quibus tot eruditi viri libros plurimos exscripserint « propriove marte[1] » confecerint; præclarissima deniqueac singulari illa perfectionis imagine quam quidem exemplum tot deinde cœnobia vel extra imperii fines sibi delegerunt.

Quot autem et quantis virtutibus fuerint ornati Studitæ monachi, tum maxime patuit cum adversis rebus præsertimque ea tam diutina, tam dire sæviente iconoclastorum persecutione urgerentur[2], magisque ii soli vexarentur quam ceteri omnes Constantinopolitani monachi. Etenim eo tempore, vix quemquam reperires qui insectantibus obsisteret tam fortiter quam plerique tunc in Studio illo cœnobio degentes, quos nec tot iteranda semper certamina, nec tot exsiliorum labores frangere potuerint. Discipulis nempe animum addiderat præpositi illius Theodori mirabunda vis et

1. MIGNE, *P. G.*, XCIX, 167, 263.

2. BARONIUS, anno 842, n. 17 : « Inter insignes Orientis Ecclesiæ pugiles, præcipue enituit virtus Studitarum. »

constantia. Namque ipse, ut divus Paulus, et libere, et impavide dicit[1]; Athanasius alter[2], totis viribus in propulsandam hæresim incumbit; certo dignissimus qui, ob monasticam pietatem, summumque catholicæ veritatis studium, atque audacem illam, Apostolorum more, virtutem, ac tot viginti annis exanclatos labores, a Naucratio prædicetur « discipulus Christi et imitator, os Ecclesiæ, sacerdotum decus, fidei columen, regula monachorum, evangelicus pastor, pectus apostolicum, eximius confessor, martyr propositus, sol fidei orthodoxæ, orbis doctor[3]. » Præterea, multorum librorum auctor, plenusque delectationis orator[4], et probabilis carminum scriptor[5], in sermone, in opere, semper, ubique, se præbet fervidum rectæ doctrinæ propugnatorem[6], atque, ut ita dicam, antesignanum; ter enim in exsilium missus, pluriens flagellis cæsus, prope innumera tormenta passus; cui etiam neque semel necem minitati sunt; semper autem stans invictus Christi athleta. Etenim, sive Constantinopoli, sive Thessalonicæ, sive in Bithynia, sive in suo Studiensi cœnobio, aut in itinere, aut in carcere, tum

1. Auvray, *Parva Catechesis*, liv : « Par son intrépidité, il rappelle saint Paul; il n'a pas moins combattu, ni moins souffert que le grand Apôtre. » — Cf. Van den Gheyn, *l. l.*, 408 : « Étrange spectacle pour le servilisme byzantin, que celui de ce moine escorté d'une suite imposante de métropolitains, d'évêques et d'abbés, qui, admis en présence de l'empereur, sans se laisser éblouir par le fastueux appareil de la cour, parle au nouvel Achab avec une liberté de pensée et d'expression dont, depuis Démosthène pour l'affranchissement de la patrie, et Chrysostome pour l'indépendance de l'Église, la langue grecque n'avait pas retrouvé les accents. » — P. Girard, *Revue des ét. grecq.*, avril 1892, p. xxxvii : « Son éloquence s'élève parfois à des hauteurs inattendues, et semble un écho de la grande voix de saint Jean Chrysostome. »

2. Cf. Tougard, *Bulletin critique*, 15 févr. 1889, p. 64. — Auvray, *l. l.*, lv : « Lorsqu'il était rappelé de l'exil, le peuple, libre alors de manifester ses vrais sentiments, accourait à sa rencontre et se prosternait à ses pieds; on eût dit Athanase rentrant à Alexandrie, ou Hilaire dans les Gaules au milieu de l'allégresse et des acclamations publiques. »

3. Migne, *ibid.*, 1828.

4. Cf. Ruelle, *Revue critique*, 17 oct. 1892 : « Nous ne pouvons que signaler l'onction dont les catéchèses sont empreintes, et donner en exemple à certains de nos prédicateurs, la manière dont le Studite enseigne et prêche la saine morale pratique. »

5. Migne, *ibid.*, 311, 216. — Bury, *l. l.*, 520.

6. Paspatès, 345, n. 2 : ὁ θερμὸς τῆς ὀρθοδοξίας πρόμαχος. »

defensoriis scriptis, tum sexcentis circiter epistulis, tum catechesibus, sine ulla intermissione, vocem suam attollit ad vindicandam fidei libertatem, notandumque errorem, atque adhortandos discipulos[1]. Nunquam non « libero mentis impetu[2] » monet identidem esse fortiter tyrannis resistendum[3]; ipse vero tunc modo conticescet cum aut linguam abscindi aut ipsum capite obtruncari imperatores jusserint[4] : tot profecto tantisque virtutibus cum dignissimus qui ceteris in posterum monasticæ religioni se dedentibus exempli causa proponatur, tum etiam, litteris apud plebem usu receptis, ad nostram usque memoriam celebratissimus.

Quemadmodum autem Theodorus hegumenus, ita et Studitæ monachi, saltem plerumque, alacres veræ fidei defensores facti sunt; sua multitudine, suaque disciplina[5] tandem eam iconoclastarum imperatorum adeo diuturnam hæresim devicerunt, ipsi postea Photio maxime metuendi[6]. Quod si quidem, ut viro cuidam byzantinis rebus doctissimo placet[7], « l'Église grecque apparaît, au huitième et au neuvième siècle, couronnée d'une suprême splendeur; si, comme aux époques les plus glorieuses de son histoire, vertus éminentes, génie, sainteté, auréole du martyre, rien ne lui manque alors, » tot tantarumque virtutum seminarium in illo Studiensi cœnobio reperire est, præsertim Theodori temporibus. Nam, cum eam præfecturam suscepit, jampridem fere desertum erat et vacuefactum monasterium[8]; at brevi eodem concurrerunt permulti ad tantum religionis monasticæ magistrum,

1. Cf. Van den Gheyn, *ibid.*
2. Migne, 268 : « ἀχαλινώτοις διανοίας ὁρμαῖς. »
3. C. Douais, *la Science cath.*, 15 févr. 1889, p. 174 : « Le dernier, peut-être, des écrivains ecclésiastiques grecs, qui ait échappé au mal de l'asservissement aux empereurs. » — P. Girard, *ibid.*, xxxvi.
4. Migne, *ibid.*, 1300 : « ἐξαιτήσομαι τὸν βασιλέα, βασιλικὸν συνεπᾶραι, εἰς τὸ πάντως ἀποκεφαλίσαι ἢ καὶ γλοσσοκοπῆσαι. »
5. In primis enim de Studitis censeo dicendum quod de ceteris monachis asserit Lichtenberger, *Encyclopédie*, s. v. Moine, p. 267 : « Grâce à leur nombre et à leur discipline, ils tranchèrent en maîtres souverains dans le sens de l'orthodoxie la plus stricte. »
6. Hergenröther, *Photius*, I, 393; *Hist. eccl.*, III, 387.
7. Van den Gheyn, *l. l.*, 407.
8. Thomas, *ibid.*, 59.

eundemque omnibus doctrinis eruditissimum[1], ita ut inter tot alia cœnobia enituerit Studitarum cœnobium velut sapientissimæ institutionis exemplar[2], atque, inter tot illiteratos monachos certissimum ingenuis artibus perfugium.

Attamen, postquam multis perfunctus laboribus diem supremum obiit Theodorus[3], Studitæ illi quorum constans inter vexationes animus omnibus fuerat admirationi, qui sacrarum Imaginum causa tot et tanta perpessi fuerant, totque sanctis moribus conspicuos viros, tot martyres cælo pepererant, paulatim a catholica fide deficere cœperunt, majorque in dies factus est in schisma hæresimque labentium numerus. Adeo dici potest, maxime a Theodoro hegumeno Studiense cœnobium famam et immortalitatem sumpsisse[4]!

Qua ex re intellegitur, si forte in locum impavidi illius præsulis, qui sine mora, sine intermissu ullo discipulos lacesseret, eosque valida, atque etiam asperiore manu, ne cederent, moderaretur, suffectus fuisset alius quivis præpositus, æque catholicæ fidei atque apostolicæ Sedi addictus, sed non ita strenuus aut dicendi ac scribendi peritus, at facilis, timidus, vel mediocriter doctus, tunc Studitas omnes, sicut et ceteros monachos videres, huc illuc cujuslibet potentis vel turbulenti hominis arbitrio abstractos, atque in errorem jam ab ipsis iconomachorum temporibus, sicut et, non ita multo post, Cærularii ætate, fuisse inductos.

Amoto enim duce Theodoro, qui quasi stella præfulgens[5],

---

1. *Menol. Basil.*, Migne, *P. G.*, CXVII, 156 : « πᾶσαν δὲ γνῶσιν τῶν μαθημάτων ἐκμαθών. »

2. Hergenröther, *Photius*, I, *ibid.*; *Hist. eccl.*, III, 143.

3. De quo sic habet die 12ª Novembris *Martyrologium romanum* : «... qui pro fide catholica strenue pugnans, factus est in universa ecclesia catholica celebris. »

4. Thomas, 59 : « Der Ruhm des Theodorus Studita ist mit dem seines Klosters unlöslich verknüpft. »

5. Neque tamen dicere ausim, ut G. Kurth, *les Origines de la civil.*, I, 288, Theodorum Studitam omnium in urbe Byzantio sanctorum virorum exstitisse novissimum, cum et Tarasius et Nicephorus et Methodius et Ignatius patriarchæ Sanctorum albo sint adscripti. Cf. Van den Gheyn, *l. l.*, 407-409. — Neque vero illum Studii abbatem æque fere notum esse suo a Tarasio patriarcha dissidio atque infracta sua adversus iconomachos constantia : L. Duchesne,

clarissima luce iter discipulis sequendum designarat, minus diligentes esse in retinendis officiis Studitæ monachi cœperunt, atque in pristina fide fluctuare, tum demum a recta doctrina declinare ; tantoque obscurior facta est rerum cœnobii Studiensis historia quanto major a Theodori temporibus invictaque fide discessio. At saltem Studitæ, ceteris diutius, et dictis, et factis, et scriptis, adverso errorum flumini obstiterant, vixque inter tot in urbe Constantinopoli monachorum collegia, ullum reperiri potest, tot tantisque Ecclesiæ ac litterarum causa susceptis laboribus nobilitatum cœnobium[1].

Bulletin critique, 1er sept. 1892. — Magis placet, sit venia verbo, hæc sententia (Auvray, *ibid.*, LIV) : « Il méprise cette prudence humaine qui n'est qu'une trahison des droits de Jésus-Christ. C'est ce moine qui proteste devant l'archevêque silencieux ; c'est lui qui excommunie l'empereur, et venge, au péril de sa vie, la morale outragée. » — Cf. P. Girard, *ibid.* : « Fort, résigné, illuminé dans le martyre, passant de la persécution à la faveur, de l'exil et de la prison aux ovations populaires et aux retours triomphants, inflexible sur la discipline, mais indulgent aux dociles et aux humbles, prophète et thaumaturge à ses heures, guérissant les malades, délivrant les possédés, arrêtant par ses prières les inondations, redouté des fauves que son nom seul faisait fuir, tel s'offre à nous ce personnage extraordinaire, une des figures assurément les plus attachantes de cette Byzance impériale, qui en compte un si grand nombre. »

1. Cf. Paspatès, 342 : « ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν γραμμάτων τοσούτῳ μοχθήσασα. »

APPENDIX I

HEGUMENI STUDIENSIS CŒNOBII

Athenodorus[1], 463 (?)
Joannes[2], 518.
Cosmas[3], 536.
Sabbas[4], 787.
Theodorus[5], 798-826.
Leontius[6].
Naucratius[7], ad ann. 842.
Nicolaus, primum[8], 842-851.
Sophronius[9], 851-855.
Nicolaus, iterum[10], 855-858.
Achillas[11], 858-863.
Theodosius[12], 863-864.
Eugenius[13], 864.
Theodorus Santabarenus[14], 864-867.
Sabas[15], 867.
Nicolaus, tertium[16], 868.
Clemens[17], 868
Hilario[18].
Anatolius[19], circ. 882-886.

---

1. *Supra*, p. 17.
2. *Ibid.*, p. 22.
3. *Ibid.*, p. 21.
4. *Ibid.*, p. 25. Inter Studii hegumenos, *Acta SS.*, Aprilis, I, 364, relatus est Publius quidam, judice quidem uno Ferrario; at non ita recte.
5. *Supra*, p. 28, sqq.
6. *Ibid.*, p. 41.
7. *Ibid.*, 52.
8. *Ibid.*, 54.
9. *Ibid.*, 55.
10. *Ibid.*
11. *Ibid.*, 56.
12. *Ibid.*
13. *Ibid.*
14. *Ibid.*
15. *Ibid.*, 57.
16. *Ibid.*
17. *Ibid.*, 58.
18. *Ibid.*
19. *Ibid. Vita Euthymii*, edit. de Boor, II, 10 : « ὁ τῆς εὐαγεστάτης μονῆς τῶν Στουδίου ἡγούμενος ὁσιώτατος ἀνὴρ Ἀνατόλιος. »

Arcadius[1], circ. 900.
Anatolius[2], 916-932.
Timotheus[3].
Joannes[4], circ. 960.
Euthymius[5].
Antonius[6], ad ann. 975.
Alexius[7], ad 1025.
Michael[8], 1048.
Symeon[9].
Joannes[10], 1084.
Dositheus[11] (?), 1188.
Theodorus[12], XI-XII seculo.

---

1. *Supra*, 58. *Vita Euthymii*, IX, 27 : « τῆς τῶν Στουδίου εὐαγεστάτης μονῆς κατὰ τοὺς τότε καιροὺς ἡγεῖτο ὁ ἐν ἁγίοις Ἀρκάδιος. »

2. *Supra*, *ibid.*, 58, 59.

3. *Ibid.*, 60.

4. *Ibid.*

5. De quo facit mentionem Typicon imperatoris Joannis Tzimisces ad Athonitas monachos, anno 972 (Ph. Meyer, *die Haupturkunden*, 150, 31); atque etiam aliud Typicon Constantini Monomachi (*ibid.*, 162) : « Εὐθυμίου τοῦ εὐλαβεστάτου μοναχοῦ καὶ καθηγουμένου τῆς τοῦ Στουδίου εὐαγεστάτης μονῆς. »

6. *Supra*, 60.

7. *Ibid.*

8. *Ibid.*

9. *Ibid.*

10. *Ibid.*, 61.

11. *Ibid.*

12. Schlumberger, *Revue des Études grecques*, t. IV, nº 14, mai-juin 1891, p. 115, edidit sigillum Theodori cujusdam hegumeni Studii. « Ce Théodore ne peut être le célèbre abbé du VIII[e] siècle. Le sceau est d'époque bien plus récente. » Alterum etiam XI[i] sec. hegumeni sigillum videre est, *Sigillographie byzantine*, p. 139.

Gratias hic liceat agere plurimas v. inl. G. Schlumberger, qui, ab humanissimo C. Diehl rogatus, ut in fronte hujusce voluminis sigillum illud Theodori et figura et litteris præstantius incideretur, libentissime permiserit.

APPENDIX II

DE SCRIPTIS THEODORI STUDITÆ [1]

I. Liber πανηγυρικός, tredecim orationes complectens, nempe :

1. De temperantia monastica [2].
3. In adorationem pretiosæ et vivificæ Crucis [3].
3. In vigiliam Luminum [4].
4. In sanctum magnum Paschatis diem dominicum [5].
5. In dormitionem sanctæ Dominæ nostræ Deiparæ [6].
6. In cælestium Ordinum cœtum [7].
7. In nativitatem sancti Prophetæ Præcursoris Baptistæ [8].
8. In abscissionem sacri capitis magni Baptistæ et Præcursoris Christi [9].
9. In S. Joannem apostolum et evangelistam Christi [10].
10. In gloriosum et sanctum Apostolum Christi Bartholomæum [11].
11. In S. Platonem ejus patrem spiritualem [12].
12. In S. Arsenium anachoretam [13].
13. Catechesin funebrem in ejus matrem [14].

---

1. Cf. FABRICIUS, apud MIGNE, *P. G.*, XCIX, 10-50. — ALLATIUS, *ibid.*, 50-58. — CEILLIER, *Hist. des auteurs ecclés.*, XVIII, 491-519. — MÜLLER, 32-44. — TOUGARD, p. XXXV-XXXVIII. — THOMAS, 139.
2. MIGNE, *ibid.*, 688, 692.
3. *Ibid.*, 692-700.
4. *Ibid.*, 700-708.
5. *Ibid.*, 710-720.
6. *Ibid.*, 720-730.
7. *Ibid.*, 730-748.
8. *Ibid.*, 748-758.
9. *Ibid.*, 758-772.
10. *Ibid.*, 772-788.
11. *Ibid.*, 792-802.
12. *Ibid.*, 804-849.
13. *Ibid.*, 850-881. — Cf. KONDAKOFF, *o. l.*, II, 112.
14. MIGNE, *ibid.*, 884-901.

II. Magna catechesis 173 sermonibus ad monachos constans[1].
III. Parva catechesis breviores 134 sermones complectens[2].
IV. Liber dogmaticus adversus Imaginum oppugnatores, duobus constans dialogis atque una oratione quibus nomen Antirrheticus primus[3], secundus[4], tertius[5].
V. Refutatio et subversio — ἔλεγχος καὶ ἀνατροπή — impiorum poematum[6].
VI. Quæstiones aliquæ propositæ Iconomachis[7].
VII. Adversus Iconomachos capita septem[8].
VIII. Oratio adversus Iconomachos[9].
IX. Epistula ad Theophilum imperatorem de sanctis ac venerandis Imaginibus[10].
X. Epistula ad Platonem de cultu sacrarum Imaginum[11].
XI. Epistularum libri V, circiter DC epistulis constantes[12].
XII. Ascetica capitula quattuor[13].
XIII. Scholion in S. Basilii Ascetica[14].
XIV. Explicatio divinæ liturgiæ præsanctificatorum[15].
XV. Doctrina seu catechesis chronica monasterii Studii[16].

---

1. Fabricius, *ibid.*, 19. — Allatius, *ibid.*, 53. — Ceillier, *ibid.*, 508. — Tougard, p. xli. — Auvray, lvi.

2. Migne, *ibid.*, 509-687 sed latine tantum; græce vero ac latine recenter edidit Auvray atque apparatu critico instruxit.

3. Migne, *ibid.*, 328-352.

4. *Ibid.*, 352-388.

5. *Ibid.*, 389-436. — Ceillier, 491-493. — Allatius, *ibid.*, 54. — Tougard, p. xxxvi.

6. Migne, 436-477.

7. *Ibid.*, 477-485.

8. *Ibid.*, 485-497.

9. *Ibid.*, 175-184, in Vita ab Anonymo conscripta.

10. Exstat inter opera S. Joannis Damasceni, *P. G.*, XCV, 345.

11. Migne, *P. G.*, XCIX, 500-506.

12. Tougard, *la Perséc. iconocl.*, p. 5. — Ceillier, 496-509. Earum vero epistularum libri I et II jam a Sirmundo editi fuerant (Migne, *ibid.*, 904-1669); ceteros autem primum in lucem protulit Cozza-Luzzi in nova Patrum bibliotheca, t. VIII.

13. Migne, *ibid.*

14. *Ibid.*, 1685-1688.

15. *Ibid.*, 1688-1689.

16. *Ibid.*, 1693-1704.

XVI. Descriptio Constitutionis monasterii Studii [1].
XVII. De confessione et pro peccatis satisfactione octo et viginti canones [2].
XVIII. De quæstionibus quibusdam canones quattuor [3].
XIX. Pœnæ monasteriales [4].
XX. Typicon ad usum Studitarum [5].
XXI. Iambi de variis argumentis [6].
XXII. Canon in adorationem Crucis [7].
XXIII. Canon *epinicius* seu victorialis in erectione sanctarum Imaginum [8].
XXIV. Canones et troparia quæ ad hunc diem in Ecclesiis Græcorum in usu sunt [9].
XXV. Vita Theophanis martyris [10].
XXVI. Testamentum [11].

---

1. *Ibid.*, 1704-1720.
2. *Ibid.*, 1721-1729.
3. *Ibid.*, 1729-1733.
4. *Ibid.*, 1733-1757.
5. Cf. *Appendic.* III.
6. Migne, *ibid.*, 1780-1812.
7. *Ibid.*, 1757-1768.
8. *Ibid.*, 1768-1780.
9. Allatius, *ibid.*, — Tougard, p. xxxvii. — Ceillier, *ibid.*, 511. — Pitra, *Analecta sacra,* I, xl-xliv. — Cf. W. Christ, *Anthologia græca carminum christianorum,* xliii, 83, 101, 102.
10. Ceillier, *ibid. Supra,* p. 108.
11. Migne, *ibid.*, 1813-1823. Exstat etiam ibidem (1185) Theodori epistula cui titulus « in carcere scripta tanquam testamentum ». Discipulos veniam precesque rogat hegúmenus, omnibusque, si quid peccaverint, ipsi etiam Leontio, culpas omnes se condonare profitetur. — Cf. etiam *les Moines de Constantinople,* liv. V, chap. IV.

APPENDIX III

DE TYPICIS STUDITARUM

Apud Græcos auctores, verbo huic « Typicon » non una eademque subjecta est sententia. Ac primo quidem, ea voce, cum latissime pateat, significatur *liber ecclesiasticus* in quo præfinitum fuit quid singulis anni diebus psallendum sit, quid recitandum, quid e Scriptura sacra legendum intra Missarum sollemnia, ad Vesperas, ad Matutinum, ceterasque divini Officii horas, quando etiam et a quibus alimentis jejunandum. Cujusmodi fuisse constat plurima, præsertim in monachorum usu Typica ; sicut, Typicon illud lauræ S. Athanasii in monte Atho, anno 1431 ab hierodiacono Demetrio perscriptum [1] ; Typicon lauræ S. Sabæ, anno 1360 transcriptum, atque exactam dierum ac noctium variis anni temporibus longitudinem designans [2] ; Typicon aliud etiam lauræ S. Sabæ, quarto decimo seculo scriptum, et ipsum tempora notans, sed paulo productius [3] ; tertium quoque ejusdem lauræ, ejusdemque ætatis [4] ; vel etiam duodecimi seculi Rituale et Euchologium [5]. Ejusdem autem generis Typicon Studitis monachis adhibendum conscripserat Theodorus hegumenus [6] ; illius autem codex manuscriptus, Allatii tempore [7], exstabat in bibliotheca Barberina [8] ; nunc quoque in

---

1. *Codex Coislin.*, n. 38, fol. 1-40 : Typicon ; 40-254, Triodion ; 354-503, Pentecostarion.

2. *Codex Coislin.*, n. 215 ; 217 ff. Typicon vero fol. 1-177 continetur.

3. *Codex Coislin.*, n. 216, XIV sec., 207 ff.

4. *Codex Coislin.*, n. 361. Typicon lauræ S. Sabæ, auctore Sophronio hieronomacho, XIV sec., 230 ff.

5. *Codex Coislin.*, n. 361 : Rituale et Euchologium lauræ S. Sabæ, XII sec., 227 ff.

6. MIGNE, *P. G.*, XCIX, 1691. — ALLATIUS ap. COZZA-LUZZI, tom. VI, p. 166 ; tom. V, p. 102. — COTELIER, *Ecclesiæ græcæ monum.*, tom. III, p. 440-443.

7. *Codex supp. gr.*, n. 416, f. 254.

8. COZZA-LUZZI, tom. VI, 166, n. 3 : « item in codice Vaticano. »

bibliotheca Vaticana Codici manuscripto 1609[1] græce latineque titulus : *Typicon Theodori Studitæ;* in quo quidem præscribitur quo ordine singulis totius anni diebus recitandum sit ecclesiasticum officium, ut ex ipsius Typici verbis patet sic incipientis : « Σὺν Θεῷ τυπικὸν περιέχον τὴν ἅπασαν ἀκολουθίαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως Θεοδώρου τοῦ Στουδίτου καὶ τῶν λοιπῶν[2]. »

At nonnunquam Typici nomine intellegitur tantum pars quædam officii ecclesiastici non ita late patens, ac solummodo unius vel alterius mensis festos dies complectens, ut illud « Menæum » Novembris, anno 1127, a Theoctisto conscriptum[3]; vel etiam « Triodion » Studitarum[4], quo continentur Evangelia atque cetera officia ecclesiastica a Dominica « Φαρισαίου καὶ Τελώνου » ad diem festum Sanctorum omnium.

Aliud quoque Typicorum genus sæpius invenire est. Quod quitem non solum ecclesiastici Officii ordinem continet, sed etiam varias regulas exponit quibus et cœnobium regi et monachos institui necesse sit. Cujusmodi fuit Typicon « κτητορικόν » monasterii sancti Mamantis, leges plurimas exhibens : περὶ τοῦ αὐτοδεσποτὴν εἶναι τὴν μονήν, περὶ προχειριάσεως οἰκονόμου, περὶ τοῦ ἐκκλησιάρχου, περὶ τοῦ πυλωροῦ, κ. τ. λ[5]. Sic etiam illud S. Nicephori Typicon a RR. Pitra editum[6], nonnullaque alia quæ videre est relata in *Acta et diplomata monasteriorum Orientis,* nempe Typicon cœnobii « τοῦ Πανοικτίρμονος » in Urbe[7], ac Typicon, de quo sæpius fit apud Byzantinos auctores mentio, monasterii monialium sanctæ Mariæ « τῆς Κεχαριτωμένης, » ab imperatrice Irene Ducæna editum[8].

---

1. MIGNE, *ibid.*, 1691 : Ang. Mai de Typico Theodori Studitæ monitum.
2. De hoc Typico cf. etiam COZZA-LUZZI, V, 162. — COTELIER, *ibid.*
3. *Codex græc.*, n. 1570, 214 ff.
4. *Codex græc.*, n. 337, Triodion ; addunt Benedictini : *Studitarum ;* XIII sec., 199 ff.
5. *Codex supp. gr.*, n. 92, XII sec, 99 ff.
6. *Spicil. Solesm.*, IV, 381, sqq.
7. *Acta et dipl.*, II, p. 293-327. Editum anno 1077 a Michaele Attaliata.
8. *Ibid.*, p. 327-392. Editum est autem ante annum 1118. Ibidem proferuntur etiam duo alia ejusdem generis Typica, nempe (pp. 392-432) Typicum monasterii sanctæ Mariæ in insula Cypro, editum ab hieronomacho Nilo conditore cœnobii, anno 1210 ; atque (432-439) fragmentum Typici monasterii S. Joannis Baptistæ in monte Menoiceo, anno 1324. Irenes autem Typicon

Tertium autem est Typici genus, idemque multo angustius patens, quippe quo solummodo notentur quæ sint festa majora, media, minora, quibus diebus monachi ab operibus cessare ac jejunium solvere debeant, aut genua flectere necne : sic Codex Regius 2500 [1], ac duo in Coisliniano codice 37 priora Typica [2] usu recepta apud Athonitas monachos.

Quartum vero Typici genus est, de quo fusius dicendum, ordine mensium ac dierum signans quos Sanctos in consuetudinem venerit publica religione colere.

Perpauca quidem hujus modi adsunt Typica Studitarum sed maximi momenti. Ac primo quidem referendum videtur, quod e variis Typicis Benedictini refinxerunt kalendarium Studitarum [3].

SEPTEMBRI

8 Deiparæ nativitas.
11 Exaltatio Crucis.
16 S. Euphemiæ.
24 Transitus Theologi.

OCTOBRI

6 S. Thomæ apostoli.
9 S. Jacobi Alphæi apostoli.
18 S. Lucæ apostoli.
23 S. Jacobi adelphothei.
28 S. Demetrii.

NOVEMBRI

8 Synaxis Angelorum.
13 S. Chrysostomi.
14 S. Philippi.
16 S. Matthæi.
21 Præsentatio Deiparæ.
30 S. Andreæ apostoli.

DECEMBRI

6 S. Nicolai.
20 S. Ignatii : προεορτία.
24 Παραμονή.
26 S. Deiparæ.
27 S. Stephani.

JANUARIO

1 Circumcisio ; S. Basilii.
2 Theophaniæ.
7 Synaxis Præcursoris.
21 S. Euthymii.
25 S. Gregorii theologi.
27 Relatio Chrysostomi.

FEBRUARIO

2 Hypapante ; S. Symeonis susceptoris.

---

videre est ap. Migne, *P. G.*, CXXVII, p. 984, sqq. Cf. Nissen, *die Diataxis des Michael Attaleiates*, pp. 2-5 : « Begriff der Worte διάταξις, τυπίκον » ; et, 5-21, « die erhaltenen τυπικὰ κτητορικά. »

1. Codex Regius n. 2500, Georgii Agapeti manu, seculo XV exaratus, f. 262 v°. Editus est apud Pitra, *Spic. Solesm.*, IV, 445.

2. *Codex Coislin.*, n. 37, XIV sec., 367 ff. Quorum quidem Typicon prius (fol. 330 r. et f. 331 ; cf. Pitra, 450) dies tantum exhibet in quibus et monachi et mercenarii ab opere quiescere debeant ; alterum autem (fol. 331-332 ; Pitra, *ibid.*, 451) admonet quando et jejunare et flectere genua omnino non debeant monachi, aut utrumque privatim possint in cella facere.

3. *Codex suppl. gr.*, n. 416, f. 254 et 255.

MARTIO

25 Annuntiatio.

APRILI

23 S. Georgii.
25 S. Marci.
30 S. Jacobi Zebedæi, apostoli.

MAIO

8 S. Joannis theologi; S. Symeonis Zelotæ.

JUNIO

8 S. Theodori stratelati.
11 SS. Bartholomæi et Barnabæ.
24 Nativitas Præcursoris.
29 SS. Petri et Pauli apostolorum.
30 Synaxis duodecim apostolorum.

JULIO.

8 S. Procopii.
20 S. Eliæ prophetæ.
27 S. Panteleemonis.

AUGUSTO

6 Transfiguratio.
9 S. Mathiæ apostoli.
15 Dormitio Deiparæ.
29 Decollatio Præcursoris.

Notatur ibidem magnas sollemnitates, loco octavarum, quattuor diebus celebrari a Studitis (μεθεορτία et προεορτία).

In quo quidem Typico Studitarum nemo est qui non animadverterit deesse nomen clarissimi Studitarum hegumeni Theodori. Idem quoque evenisse vehementer mirabar in Typico illo Studitarum et Hierosolymitarum monachorum, primum edito a D. Pitra in Spicilegio suo Solesmensi [1], e quo festa hæc mensi Novembri assignata liceat referre :

Μηνὶ Νοεμβρίῳ [2].

÷ α΄. Τῶν ἁγίων Ἀναργύρων.
+ η΄. Ἡ σύναξις τῶν ἀσωμάτων.
÷ ια΄. Τοῦ ἁγίου Μηνᾶ· τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ἁγίου Θεοδώρου τοῦ Στυδιώτου.
÷ ιβ΄. Τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ ἐλεήμονος.
+ ιγ΄. Τοῦ τιμίου Χρυσοστόμου.
+ ιδ΄. Τοῦ ἁγίου Φιλίππου.
+ ιϛ΄. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ματθαίου.
÷ ιζ΄. Τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Θαυματουργοῦ.
(+) κα΄. Τὰ εἰσοδία τῆς Θεοτόκου.
÷ κε΄. Τοῦ ἁγίου Κλήμεντος Ῥώμης.
+ λ΄. Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἀνδρέου.

1. Tom. IV, p. 452, 455.
2. *Ibid.*, 453.

Manuscriptum autem illum quarti decimi seculi codicem [1], a cardinali Pitra fuisse perscriptum summa religione, « ne ullo quidem vel elogio, vel signo prætermisso [2] » certissime constat. Quin etiam « Studiensia omnia consignata sunt multo accuratius quam Hierosolymitana, ut testatur scriptor incertus Athonita in procemio [3] ». Atqui, in supradicto Typico cum Studitarum festa Cruce +, Hierosolymitarum autem punctis hisce ÷ signentur [4], inde videtur consequi Theodori Studitæ festum diem apud Hierosolymitanos celebrari, minime vero apud Studitas monachos. Hæc enim Typicon :

÷ ια΄ · τοῦ ἁγίου Μηνᾶ · τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τοῦ ἁγίου Θεοδώρου τοῦ Στυδιώτου.

Insuperque, nulla de Theodori translatione die Januarii vicesima sexta reperitur mentio. Quid igitur ex iis rebus colligendum ?

Ac profecto, haud verisimile est maximo honore Studitas non fuisse prosecutos Theodorum illum qui in tot ceteris Menæis ac Typicis fuisset inscriptus. Etenim, in tribus XIV^{i} seculi, de quibus jam superius, S. Sabæ Typicis, die undecima Novembris, laudatur S. Theodorus Studita. Nempe, in Codice Coisliniano 216, f. 38, sic legitur :

ια΄ · τῶν ἁγίων μαρτύρων μηνᾶ. βίκτορος. καὶ βικεντίου. καὶ τῆς ἁγίας μάρτυρος στεφανίδος. καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν θεοδώρου τοῦ στουδίτου.....

Deinde, folio 39, hæc adduntur : « εἰς τὴν τραπέζαν ἀναγινώσκεται ἡ διάταξις τοῦ Στουδίτου, καὶ ἡ περὶ τῆς κοιμήσεως αὐτοῦ ἐπιστολὴ Ναυκρατίου. »

Iisdem verbis utuntur Codices 361 et 215. Menæum vero Novembris, anno 1127 exaratum, sic habet [5] :

ια΄ · τῶν ἁγίων μαρτύρων μηνᾶ · βικτῶρος καὶ βικεντίου · καὶ τοῦ

1. *Codex Coislin.*, n. 37, f. 332.
2. Pitra, *ibid.*, 451.
3. Martinov, *Annus eccles. græco-slavicus ; Acta SS.*, Octobr., XI, 5.
4. Pitra, *ibid.* : « ὅπου δὲ ὁρᾷς κεντήματα τρία, τῶν Ἱεροσολύμων εἰσὶν ἑόρται, ὅπου δέ εἰσι σταυροί, τῶν Στουδίου. » — *Codex Coislin.*, n. 37, f. 332.
5. Folio 50, v°.

ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου ἡγουμένου τῶν Στουδίου, additque hymnos ac canones in ejus officium.

Præterea, seculo undecimo exaratus Codex manuscriptus Corsinensis [1], die Novembris undecimo, contakion refert in honorem Theodori.

Menologium Græcorum, jussu Basilii II Porphyrogeniti imperatoris conscriptum (inter annos 976 et 1025) ad usum ecclesiarum urbis Constantinopolis, eodem die, Theodorum commemorat [2].

Idemque reperitur in Typico quodam Serbico in monasterio Chilandarensi, in monte Atho, anno 1331 scripto [3].

Refertur etiam Theodori nomen in Menæis Italo-græcis a Nilo II conscriptis anno 1114; atque in Typico S. Bartholomæi anno 1300; quod quidem sic habet :

ια΄ · τῶν ἁγίων μαρτύρων Μηνᾶ, Βίκτωρος καὶ Βικεντίου — καὶ Στεφανίδος — καὶ τοῦ ὁσ. [Ιω...ελεήμονος deest in Typico Barthol.] — καὶ τοῦ ὁσ. Θεοδώρου Στουδίτου — καὶ τοῦ ὁσ. Μαρτίνου, καὶ τοῦ ὁσ. πατρὸς ἡμῶν ΒΑΡΘΟΛΟΜΑΙΟΥ [4].

Item in Slavicis documentis in *Annum ecclesiasticum Græco-slavicum* relatis [5] ; atque in Ephemeridibus Græco-Moscis a Papebrochio conscriptis [6] ; necnon et in tabulis Capponiensibus Assemani [7]; et in Kalendario Romaniensi [8], ac in Martyrologio Romano [9].

Quæ cum ita sint, nonne veri specie caret solos Studitas monachos debitum Theodoro suo honorem cultumque non præstitisse, ceteris Constantinopolitarum, Russorum, Serborum, Romaniensium, Italo-græcorum, Latinorum illum certatim colentibus ?

---

1. Pitra, *Spic. Solesm.*, I, 627, 666.
2. *Menologium Græcorum jussu Basilii imp...*, Urbini, 1727, p. 181 ; apud Migne, *P. G.*, CXVII, 156.
3. Martinov, *ibid.*, 5, n. 15.
4. Exstat in *Cod. Coislin.*, n. 215, f. 48. — Cf. Toscani, ad *Typica Græcorum animadversiones*. Romæ, 1864.
5. Martinov, *ibid.*, p. 275.
6. *Acta SS.*, Mai, I, p. LIII.
7. *Kalendarium Ecclesiæ universæ*, t. V, p. 349. Romæ, 1775, in-4°.
8. Nic. Nilles, *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiæ orientalis et occidentalis*, t. I, p. 321.
9. Die Novembris duodecima.

Forte eveniet ut antiquioribus Codicibus expediatur ea res adeo intricata. Namque, exstat Venetiis in bibliotheca Marciana, Codex quidam manuscriptus, origine sua Studitanus, ac, saltem ea parte seculo undecimo exaratus[1]. De quo hæc Mingarelli[2] : « Scriptus fuit ad usum alicujus monasterii, ut patet ex rubricis versus finem, ac fortasse ad usum monasterii Studitarum, nam omnium Sanctorum hujus monasterii mentio occurrit, quin etiam Studii patricii qui illud monasterium fundavit. »

Habetur enim ibidem, ad diem 20 Junii :

Μνήμη τοῦ ἐν μακαρίᾳ μνήμῃ γεγονότος Στουδίου πατρικίου τοῦ συστησαμένου τὴν μονὴν τῶν Στουδίου.

Ad diem 26 Januarii :

Ἀνακομιδὴ τῶν λειψάνων τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν καὶ ὁμολογητῶν Θεοδώρου ἡγουμένου τῶν Στουδίου καὶ Ἰωσὴφ ἀδελφοῦ αὐτοῦ.

Ad diem vero 11 Novembris[3] :

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ια΄˙ τῶν ἁγίων μαρτύρων : μηνᾶ : βίκτορος : καὶ βικεντίου : καὶ τῆς ἁγίας στεφανίδου : καὶ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Θεοδώρου ἡγουμένου τῶν στυδίου : εἰς μνήμην τοὺς μάρτυρας (sic) ζήτει ἀκολουθίαν εἰς μάρτυρας˙ εἰς τὸν ἅγιον πατέρα ἡμῶν θεόδωρον : τρόπαιον.....

Quam autem ob causam, cum seculo undecimo adsit in Typicis Theodori Studitæ nomen, defuerit in Studitanis kalendariis quarto decimo seculo exaratis, paucis aperire tentandum.

Jam antea dictum est, Studitarum hegumenum Theodorum catholicæ doctrinæ propugnandæ causa in ecclesiastico officio nonnulla nova fecisse ; quin etiam, teste eruditissimo viro J. B. Pitra, « il renouvela ou maintint, avec une prudente discrétion, un office

---

1. *Codex Marcianus*, n. 115 (Naniensis CLXX). Codex membraneus, in folio minori constans foliis gossypinis 23, dein lineis 54, demum membraneis 277. Scripta sunt chartea seculo XV, membranea seculo XI, vel XII.

2. Mingarelli, *Græci codices manuscripti apud Nanios patricios Venetos asservati*. Boloniæ, 1734, in-4°, p. 379, sqq. Continet *Praxo-Apostolum* seu Lectiones ex Actibus Apostolorum atque ex Epistolis Pauli, Petri, Jacobi, et Judæ recitandas in festis Sanctorum, singulis cujusque mensis diebus.

3. *Cod. Marcianus*, n. 115, f. 198 r°. Gratiam hic liceat referre perhumano viro D. Castellani qui hæc de Theodoro liberalissime exscripserit.

moins prolixe qui paraît avoir passé de Studium aux monastères italo-grecs[1] ». Quod etiam effecerant in Sabaïtarum Typico S. Sophronius et S. Joannes Damascenus, multa partim nova, partim meliora intexentes. Sed posteaquam utraque Ecclesia Orientalis nempe atque Occidentalis diducta est, factum est ut in libris ecclesiasticis Græcorum plurima mutarentur. « Peu après Michel Cérulaire, ait Pitra[2], et comme premier résultat du schisme, l'hymnographie subit une nouvelle transformation, due à un vaste système de suppression et de mutilation. On mit la main sur l'œuvre des saints ; près de la moitié des hymnes fut écartée. Le fait n'est pas contestable ; il a dû avoir lieu vers le temps où l'empereur Manuel Comnène (1143-1181) réglait fort librement la discipline des choses saintes avec la connivence du patriarche Nicolas III.... Les plaies peuvent se compter à chaque feuillet, si on compare les manuscrits du XIIe siècle avec leurs devanciers, et même avec ceux qui, plus récents, ne viennent pas des pays schismatiques. »

At non solum in ipsis libris multa commutata fuisse constat, sed etiam multis locis correcta vel potius mutilata sunt Typica[3] ; immo, auctore etiam Pitra[4], « à partir du schisme, prévalut le Typicon de saint Sabas, lequel impose généralement un office plus prolixe et plus compliqué qu'il n'était d'usage à Studium et dans les monastères italo-grecs. Il n'est pas douteux que le Typicon de saint Sabas n'ait été remanié et combiné de manière à consacrer les réductions adoptées.... Cette disposition créa de profondes différences avec les églises qui, en Italie et ailleurs, conservent l'ancienne forme. De même l'Euchologe reçut de Philothée, l'un des plus fougueux défenseurs du schisme, une première partie de la liturgie, la « προσκομιδή, » où l'on multiplia des processions et

1. *Hymnographie...*, p. 57.

2. *Ibid.*, 62. — Cf. *Byz. Zeitschrift*, 1894, 1 Heft, 208 : « PARANIKAS vergleicht den heute gebräuchlichen Text des Triodion mit dem einer Handschrift des 10^en^ oder 11^en^ Jahrhunderts, die in der Bibliothek der theolog. Schule von Chalki aufbewahrt wird. Mehrfache allgemeinere Abweichungen werden konstatiert. »

3. PITRA, *ibid.*, 57, 63.

4. *Ibid.*, 64.

des acclamations jusque-là peu usitées ou inconnues hors du patriarchat schismatique. On conçoit le calcul, qui, en touchant habilement à tout cet appareil extérieur des saints mystères, provoquait entre l'Orient et l'Occident grec, des nuances assez profondes, pour qu'un jour on pût à la fois accuser l'Occident d'avoir changé et prendre précisément ces variantes pour fanatiser les populations et leur faire considérer, comme des étrangers innovateurs, leurs frères plus rapprochés de l'Église romaine. Ce calcul a pu ne pas être étranger à l'insistance avec laquelle le Typicon de saint Sabas et les liturgies de Sainte-Sophie furent imposés à tout l'Orient. »

Quod si vero, iis temporibus, *Typicon Theodori Studitæ* in usu esse jam desiit, quid igitur mirum vel e Kalendariis recentiori ætate conscriptis deletum esse nomen impavidi illius Studitarum hegumeni, qui Byzantinam Ecclesiam « segmentum hæreticum[1] » ausus esset appellare, Romanam vero totiens laudibus exornasset, eam prædicans « petram fidei[2] » ac « vere sincerum atque illimem orthodoxiæ fontem[3] » ; qui demum, ut paucis absolvam, dictis, scriptisque, et factis, usque se præbuisset, si proprium et verum nomen quæratur, « un formidable papiste ».

1. Migne, *ibid.*, 1138.
2. *Ibid.*, 1152.
3. *Ibid.*, 1156.

Vidi ac perlegi,

a. d. viii kal. julias anni m dccc xciii,

Decanus in facultate litterarum nanceiensi,

Emile Krantz.

Typis mandetur,

Academiæ nanceiensis Rector,

A. Gasquet.

INDEX RERUM

Nancy, imp. Berger-Levrault et Cie




Fig. 2

Fig 7.




Fig. 8.





Fig.

Fig. 3.



Fig. 5.




Fig. 4.



Fig. 1

